




BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII 1.708







SIMONIS

STAROVVOLSCI  
PENV HISTORICVM

Seu

*De dextra & fructuosa ratione  
Historias legendi*

COMMENTARIUS.

*Permissu Superiorum.*



CVM PRIVILEGIO.

16.370

VENETIIS, M. DC. XX.

Apud Haeredem Damiani Zenarij.

P.B. Comit. U. de P. m.

SIMONIS  
STAROLESI  
PENITENTIA



Ales grata Ioui generosum Russē Leonem  
Vestrūm condecorat , consilioq; iuuat .  
Quis neget hunc vetus Alnpechorum stemma volucris  
Dictæ à Mysis gratum habuisse caput ?



L M S L.

XVI 1708



# IOANNI ALNPECHIO

Viro apud Leopolienenses  
in Russia Consulari,

SIMON STAROV VOLSCIUS  
dedico, consecroque.



Vem admodum sua-  
uissimos historiarū  
decerpere fructus  
oporteret, Prastan-  
tissime ALNPECHI,  
inter alios pluri-  
mos DELICIVM quoque MVSARVM,  
IVSTVS LIPSIUS docuit; sed quia

in epistola quadam non cuique obvia  
hoc fecit, capropter, utilitate histo-  
riarum breuiter ostensa, libuit Sar-  
matica iumentuti sigillatim proponere,  
tibi vero, nomen eius amanti, et ab  
eodem dum viueret inuicem amato,  
nouæ amicitia libamentum offerre.  
idque dupli de causa. Mea, quod  
dum Prudenti Contubernio tuo pra-  
esses, Elogia militarium virorum,  
vestra Vrbi, bonarum litterarum al-  
trici à me dicata, ea qua par erat hu-  
manitate excepisti, et ut lucem quan-  
tocius possint videre, pronubum te  
apud tuos tanta sedulitate egisti, ut  
omni sensu carere me oporteat, si gra-  
ti animi memoria, tuam humanita-  
tem non prosequar, et hoc quidquid  
est opera, tibi non inscribam. Tua;  
quod in Vrbe illa diu à me et bonis  
omnibus amata, unus ex ijs sis, qui  
poli-

politiores artes cum gloria coluisti, et  
colis, earumq; cultores fones, nec apud  
imperitos iacere pateris. Et quod  
maxime apud viros laudatos laudis  
habetur, tuum Fridericum, ut tibi si-  
milem reddas, penes nostram Acade-  
miam, antiquam sedem virtutum,  
habes. Et quidem iudicio. vestrae  
enim Vrbi à natura insitum esse vi-  
detur, ut litteris ornamento, littera-  
tis praesidio sitis. Quod, ut mea  
praesenti opellæ, invictus Leo vester,  
impartiri velit, Tibi Senatorij ordi-  
nis viro, quidquid est mei laboris, do,  
atque dico; non quidem ut par aut  
dignum te munus, qui longè maiori-  
bus es superior, sed ut mei in te amo-  
ris plane singularis extet qualiscunque  
testificatio, quod et Sigismundum  
meum, cum ceteris lucubratiunculis,  
non contempseris. Mea igitur, qua

benignitate soles, amplectere, et suau-  
ui (quod occepisti) amoris aura, su-  
stine hunc animum, qui est et erit a-  
ternum tibi tuisque deuotus. Vale.

Cracovia viij. Idus Maij. Anno  
Domini 1619.





# BENIVOLVM LECTOREM

Saluere iubeo.

**B**OLITICA LIPSI, anno su-  
periore, Candide Lector, sub  
tempus dierum Caniculariū,  
in Academia Crac. prelegens,  
animaduerti aureo illi operi  
nil amplius à quopiam doctore addi posse,  
prater exemplorum ut ita dicam gemmas,  
& experientiae testimonia. Quæ, licet ille  
ipse in monitis suis selectissima, monilis ad in-  
star Principibus viris obtulerit: non tamen  
in tanta copia attulit, ut singulis suæ Politi-  
ces capitibus vel decretis possint applicari &  
respondere: Idcirco auditoribus meis, ad sin-  
gula eius aurea dicta, lucem ex historijs dare  
cupiens, euolui nonnullos scriptores, ab eodem

illo in notis Politicis laudatos; sed profecto  
magno cum labore & vano, quod modum  
excerperi utiliora, ab illo in epistolis præ-  
scriptum, non habuisssem cognitum ante.  
Alios quidem legi, & plurimos sanè, de me-  
thodo Historica scribentes, ne absque ductore  
& directore, in tam vasto pelago nauigem;  
sed planè adiumenti nihil, præterquam con-  
fusionem, & iterum in talibus illis legendis,  
laborem inueni. Incidi forte fortuna in Epi-  
stolam doctissimi LIPSI: & cum attentius  
perlegisse, neminem fore agnoui, quotquot  
de ratione condenda aut legendâ historiæ,  
vel uniuersè vel distinctim scripsere, quem  
breuitate doctrinæ, ordine, & perspicuitate  
huic anteponas. Et sunt ex vetustioribus  
haud contemnendi Cœlius Secundus, Lucia-  
nus, & Dionysius Halicarnassæus: ex re-  
centioribus vero, Franc. Patricius, Franc.  
Balduinus, Iouianus Pontanus, Andr. Fran-  
ckenbergerus, Thomas Porcatius, Frider. Ti-  
lemannus, Anton. Poſcuinus, Io. Beurerus,  
Philip. Glaserus, Franc. Robortellus, Sébast.

Foxius, Ubertus Folieta, Ant. Viperanus,  
Christoph. Milæus, Dionysius Lambinus,  
Ventura Cæcüs, Christoph. Pezelius, Io. Sam-  
bucus, Antonius Riccobonus, tum in oratio-  
nes sua Dresserus, & Melchior Canus, atque  
ultimo Bartholomæus Keckermanus. Sed  
maxime Io. Bernartius ad rem mihi facere  
visus; quem Lipsianæ doctrinæ adiunctum,  
& noua methodo per capita disiunctum, pla-  
cuit Historico studio addictis, velut in gu-  
stum dare, & periculi faciendi causa. Nam  
plures fortasse erunt, qui illud magnum Hi-  
storiæ penu, & inibi iudicia scriptorum pro-  
bare malent, ad hæc autem nostra, non cogno-  
scendi animum, sed examinandi adferent.  
Sed tu bone, qui maiori cum fructu, & illos  
authores, & historicos ipsos legere cupis, hæc  
primò brevia, quæ ex probis & doctis adfe-  
rimus, placidus imbibe, postea quid ab illis re-  
ctè aut secus consulatur, dextrè iudica, &  
me amas.

## Approbatio Operis.

Simonis Starouuolsci Penu Historicum, seu  
de fructuosa ratione historias legendi Com-  
mentarium diligenter perlegi, & cum nihil  
contineat quod pias aures offendat, ut impri-  
mi valeat facultatem concessi.

Dat. Venet. die 15. Septemb. 1619.


F. Io. Ludouicus Secchiarius Sac. Theol. Lect.  
Commis. Inquisit. Venet.

SIMONIS  
STAROVVOLSCI

Penu Historicum.

*Seu de dextra & fructuosa ratione  
Historias legendi*

COMMENTARIUS.



C A P V T I.

*Vita civilis diuisa in Practicam, et  
Theoricam.*

*Vtrique in genere Historiae cognitio  
necessaria ostensa, et bre-  
uiter laudata.*



V M vita sine proposito  
vaga, otium sine nego-  
tio mors sit; vnicuique  
propositum esse debet,  
vt alicui negotio inten-  
tus Dei Opt. Maximi honorem illu-  
stret, hominibus prospicit, & quo rerum  
hu-

## *De fructuosa ratione*

humanarum carius nihil datur, nominis immortalitatem sibi, quam maximè paret. At nullæ ad hanc metam ex communi Sapientissimorum virorum traditione viæ tendunt, præterquam duæ: Practices vna, Theories altera. ergo unusquisque harum aliquam insistere, & firmo pede debet decurrere. *Omnis siquidem virtus* ( ait Romanus Sapiens ) *in duas partes diuiditur, in contemplationem veri, & actionem.* Si itaque Practices iter eligat, necesse est officium suum in agendo discernat. Discernere sine prudentia non potest.

*Prudentia quid.* Prudentia autem nihil aliud est, quam euentorum obseruatio: rerum presentium ac futurarum ex præteritis tanquam ex fonte deriuata scientia. Res præteritas, earumve euentus, vel usu quotidiano, vel ex Historia discimus. usu tardè, cum extimæ ætatis sit propria prudētia quam largitur: & etiam leuiter, cum in angusto hoc vitæ cir-

*& vnde dignatur.*

co multo citius cretam attingamus ,  
quām obseruare liceat varios , ac mu-  
tabiles humanæ rei fluxus . Historia  
verò obuia magis , diffusa latiūs , non  
vnius ætatis finibus adstringitur , sed  
omnium seculorum gentiumq; res  
gestas exiguo volumine comprehen-  
tas velut in speculo proponit . Ex hi-  
storia igitur præcipua prudentia : ex  
prudentia officiorum cognitio : ex of-  
ficiorum cognitione proba actio . er-  
go nullus sine historiarum cognitio-  
ne actionis iter pede recto vñquā per-  
agrabit . Si Theorices trames magis  
placet ; cum ad inanem contempla-  
tionem is dirigi non debeat , vel Theo-  
logiæ , vel Iurisprudentiæ , vel Medi-  
cinæ , vel Philosophiæ strenuam , &  
bonam operam nauare debes . At si-  
ne historia Sacrarum litterarum se-  
riem , Diuinorum librorum interpre-  
tum Comm̄tarios , Oecumenicorum  
Conciliarum vigorem , Orthodoxæ  
fidei

*Contempla-  
tinis His-  
toriæ cognitio  
necessaria.*

*De fructuosa ratione*

fidei antiquitatem, ac cōsensum nunquam explicabit Theologus: sine historia legum tabulas nunquam intellegit Iurisconsultus: sine cana historiarum prudentia, neque morbum sāpius cognoscet, neque remedia utiliter applicabit Medicus: sine historia denique affectibus frēnos nunquam injicit, virtutes in vero suo vultu ostendet Philosophus. Ergo qui turpiter in Theorices cursu non vult hære-re, Historiarum cognitionem sibi debet comparare: comparata autem, tam vberes fructus in vita percipiet, vt siue honestatē requirat, nihil præclarius: siue utilitatem, nihil fructuosius: siue iucunditatem, nihil amænius: siue dulcedinem, nihil suauius: siue splendorem, nihil illustrius: aut ad parandam nominis immortalitatem, firmius præstantiusq; reperiri potest.

## CAPVT II.

Quid Historia practica conferat in  
specie demonstratum.

CVm nulla vitæ pars Tullio teste, neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio possit; in eoq; colendo sita vitæ omnis honestas sit, & in negligendo turpitudo; nemo vñquam negauerit, nisi idem rationem omnem exuat ac sensum, antea quam ad agendum veniatur, deliberatione rectoq; iudicio opus esse, quo officium hoc discernas, ac cognoscas. At nulla deliberatio, nullum rectum iudicium sine Prudentia. quam viuendi artem esse, perinde ac medicinam valetudinis, nauigationis gubernationem,

Cic. I. Off.

Officium in  
omni re di-  
scernendū.

Ro-

## *De fructuosa ratione*

Cic. 5. De  
fin.

Plat. in Me-  
none.

*Prudentia  
laus.*

*Virtus fine  
prudentia  
hanc recta*

Romani eloquij flos asserit . solam  
præire ac ducere ad recte faciendum ,  
diuinus Plato scribit, Bion vero Bory-  
sthenites tantum alijs omnibus virtu-  
tibus præstantiorem credit, quantum  
visus alijs sensibus . cui adeò plena ce-  
ra subscribit Stoicorum porticus tibi-  
cen haud infirmus Apollophanes , vt  
Prudentiam solam virtutem esse puta-  
ret, quæ vel in se alias cunctas contine-  
ret , vel cui reliquæ omnes famularen-  
tur. Et merito. quemadmodum enim  
sine mixtura lucis nihil splēdidum in  
orbe , ita sine prudentia nihil rectum  
in actione, quæ vel sola virtutes omnes  
gloriam parientes ita gubernat , vt ni-  
hil verear affirmare , & iustitiam esse  
crudelem , & temperatiā sordidam ,  
& constantiam imbecillem , & seueri-  
tatem dissolutam , & clementiam rigi-  
dam , & doctrinam stupidam , & om-  
nem virtutem denique vitiosam , nisi  
prudentiæ vel sale condiciatur , vel lu-  
mine

mine collustretur. At huius sola hi-  
storia est mater, quia solus ille prudens  
cum Tullio habetur, qui consequen-  
tia cernit, principia & causas rerum  
videt, earumq; progressus, & quasi  
accessiones non ignorat, similitudi-  
nes comparat, & rebus præsentibus  
adiungit, atque annectit futuras. Hoc  
autem non aliunde petet facilius aut  
acquiret, quam ex diligenti & assidua  
lectione Historiæ, quæ non vnius re-  
gionis, aut plurium etiam limitibus  
circumscripta, vti peregrinatio; non  
vnius ætatis angustijs depressa, quem  
admodum vsus; sed omnium populo-  
rum omnis æui res gestas velut in spe-  
culo ostenderet. Hæc rerum expeten-  
darum ac fugiendarum certissima pre-  
cepta, bonorum facinorum præmia,  
malorum pœnas, Reipub. gubernan-  
dæ normam, discipline militaris con-  
seruandæ modum non verbis tantùm,  
sed omnium gentium exemplis tra-

*Prudentiā  
vero histo-  
ria gignit.*

*Quia ma-  
gis obvia  
quam pere-  
grinatio.*

*Diffusa la-  
tius quam  
etas huma-  
na.*

*Omnigenis  
exéplis ple-  
na.*

B det.

## *De fructuosa ratione*

det. Hæc maximorum imperiorum auspicia, progressus, finem, malorum seu publicorum seu priuatorum causas, omnium magistratum ab ipso auspicali die in subditorum benivolentia concilianda industriam, in seditione sedanda solertiam, in hoste profligando stratagemata, de summis denique rebus prouida consilia, imò, quod maximum est, eorundem euenterus, omnigena denique exempla ad usum qualibet in re commodissimè aptanda sic exprimet, ut nullus Apelles corporis effigiem in tabula repræsentare posset euidentius. Contra, ut pueros videmus ob ingenij ac mentis imbecillitatem bonum à malo non posse discernere: sic illi, qui nulla superioris æui quasi senili ac cana scientia animos imbutos habent, quid sibi, quid Reipublicæ, quid familię suę salutare, nunquam rite poterunt constituere, ut non vane Senex Ægyptius ille,

ille, Græcos nulla vetustatis cognitio-  
ne excultos videns, apud Platonem ex-  
clamarit, *O Solon semper Græci pueri estis,*  
*nec Græcus ullus senex.* Doctorum vero  
Doctor Aristoteles, discipulum suum  
Alexandrum magnum, acta præde-  
cessorū assiduè reuoluere iusserit *An-*  
*nnales patrum, inquiens, discute, unde opti-*  
*ma poteris exempla colligere, quia acta præte-*  
*rita dant certum documentum in futuris.*  
Nec vtile hoc præceptoris sui præce-  
ptum neglexit aut contempsit Alexā-  
der. quinimò Plutarcho teste, dum eò  
vsque in Asia progressus esset, vt nul-  
los libros inueniret, non contentus  
Homeri Iliade, quam ne dormiens  
quidem demittebat, ex ipsa Græcia  
nonnullos & imprimis historias Phi-  
listi sibi mitti Harpalō mandauit.  
Quod Alexandri factum cupide imi-  
tati sunt, selecti quique duces, præci-  
puè magnus ille Iulius Cæsar, qui ab  
Achilla periculose in Ægypto oppu-

Plat. in Ti-  
meo.Rhet. cap.  
5.

Plu. i Alex.

Zonar.  
Tom. 2.

*De fructuosa ratione*

gnatus, cum nauibus vndique cingetur, mari se commisit, & ægrè enatuit, attamen fertur libellos multos, quos lectitare consueuerat, manu inter natandum in sublimè elatos non abiecisse, quanquam telis ab Ægyptijs vndique peteretur. Magnanimum quoque Brutum, qui in campis Philippicis pro patria & cum patria obijt, Historiam Polybij legendo propè truuisse, & , quod admiratione dignum est, in ipso ardore belli ciuilis, in ipsis Pompeij castris paulo ante Pharsalicam pugnam, eandem illam historiam, quo memoriae consuleret, incompendium contraxisse constat. Idē Octavianus & Tacitus Romani, Alexander & Basilius Constantinopolitani Imperatores facere in omnibus publicis actionibus consueuerant. Quos æmulatus est magnus ille Rex Alphōsus, qui Liuianam historiam semper habebat comitem; atque adeò ut histo-

Storiæ lectioni suam bene regnandi facultatem acceptam se ferre testantur, librum suis insignibus regijs ius-  
fit appendi. Carolus vero V. histo-  
rias non Germanici tantum Imperij  
& Hispanici, sed etiam veterum Mo-  
narchiarum ac regnum, & in pri-  
mis sapientissimum scriptorem Thu-  
cydideum, quem in Gallicam linguam  
luculenter à Claudio Massyliensi Epi-  
scopo cōuersum habuit, magna cum  
voluptate assiduè legit. Nostra verò  
memoria Criscius Regni Polonię Can-  
cellarius Tacitum, etiam cum in Se-  
natū esset in sinu gestauit. Cum igi-  
tur sola prudentia præcat ac ducat, ad  
recte faciendum, illa autem ex solo  
euentu rerum sit, euventus autem nus-  
quam melius quam ex historia colli-  
gatur, nihil excogitari posse ad qualis  
bet vitæ actiones ritè instituendas his-  
toriarum lectione utilius, imò æquè  
aptum aut conueniens concluditur.

*Collectio di  
ctorum.*

*De fructuosa ratione*

ib[us] n[on] s[unt] p[ro]p[ri]e t[er]r[ae] i[n] q[uo]d s[unt] s[ecundu]m  
c[on]siderationem s[ecundu]m

CAPVT III.

*Quid Theorica & historia conferat sum  
matim explicatum.*

**E**T si fatear sine historiarum cognitione esse posse, fuisseq; plurimos Theologos doctissimos, Iurisconsultos clarissimos, Medicos expertissimos, Philosophos denique acutissimos; attamen nemo, qui attentiùs modo à nobis allata excusserit, vñquā negabit. nisi idem cæcus fuerit in perspiciendis claris, vel malitiosus in perfringēdis certis, summum adferre antiquitatis cognitionem superioribus disciplinis ornamentum, atque adeò adiumentum proprium, non externum. Nam in exordio huiusc tractatus volui omnes homines curas omnes ad Dei gloriam & publicum Reipub. commodum conferre, igitur simul

nec Theoricch ad inanem contemplationem vnuquam me velle dirigere disertè professus sum , imò si qui tales sunt, vel fuere, eorum ego vitam mortemq; iuxta existimo , Prudentissimo historico plena cera subscribente , sed eosdem tales assiduè voce, adhortatione, exemplo, scriptis omnibus, in quantum fieri potest prodeesse curare ; & ut tela in armamentarium, sic pro diuersitate munerum & scientiarum, Theologiæ artium reginæ arcana, sacri Iuris decreta , Medicinæ denique ac Philosophiæ præcepta in animum reconde-re; quæ mox vel in celebri aliqua Academia disertè, ac eloquenter iuuentuti interpretetur, vel eleganti stylo expresa, ad posteros transmittantur, fœcundaq; scientiarum diluuie orbem terre inundent. His itaque germanis Theologis , genuinis Iurisconsultis , veris Medicis, legitimis Philosophis, historiam non externum, sed proprium ad-

Salust. Cō-  
iurat. Ca-  
til.Inuētus in  
litteris insti-  
tuenda .

# *De fructuosa ratione*

iuuentum , neque adeò exiguum , ut  
sine danno illo carere possint; sed tam  
amplum , ut illo destituti , nunquam  
quod profitentur nomen sustinere po-  
terint , probaturū me singulis sequen-  
tibus capitibus recipio . Et licet Plinio  
magistro , suos cuiusque generis auto-  
res diligenter eligendos esse sciam , qui  
consultum sibi studijsq; suis velit , ni-  
hilominus ostendam , tranquillam in  
contemplatione rerum vitam agenti ,  
ab historiarum sole non lucem solūm  
mutrandam esse; sed historiam ipsam  
omnes scientias in se artesq; contine-  
re , atque adeò antiquitatis peritum in  
re Theologica clare , Iuridica perspi-  
cuè , medica aptè , Philosophica  
denique acutè , cum leui scien-  
tiarum adminiculo pos-  
se differere .

## CAPVT IV.

*Quid Theologo conferat historia in  
specie declaratum.*

**S**cio Theologis omnibus, quod mā-  
datum est, maximè cordi curæq;  
esse debere, Scrutamini non historias,  
sed Scripturas. non Thucididis, Poly-  
bij, Liuij, aut Taciti pensas sententias,  
sed sacrarum litterarum testimonia,  
Sāctorum Apostolorum traditiones,  
Oecumenicorum Conciliorum decre-  
ta, Sanctę matris Ecclesię consensum,  
Senatorum denique orbis terræ omni  
exceptione maiorum, sanctiorum,  
doctiorum, vētustiorum sententias,  
quibus diuina sapientia, quibus claris-  
simum lumen tenebris nostris, quibus  
prauis affectibūs antidotum, quibus  
diuina voluntas, & nostra salus conti-  
netur. Verumtamen & illud etiam au-  
dacter adsero: In his ipsis sacris litte-

ris,

## *De fructuosa ratione*

ris, traditionibus, Concilijs, Ecclesiæ consensu, maiorum scriptis, innumera penè esse, quæ nunquam purè & liquidè, sed quasi per nebulam solum intelliget lector, qui non est tinctus vel imbutus notitia prisci æui; tum vel maximè aduersus Christianæ religio-  
nis hostium insultus, rerum gestarum cognitionem Theologo necessariam, nemo sanus abnuet. Nam quomodo promissum sit explicandum celebri illo Iacob Vaticinio adumbratum,

Gen. 13.

*auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est:* quomodo intricatissima illa quæstio intelligenda, quæ doctorum manum ac calamum tam sæpè fatigauit. M A-

Lucae 1.

R I A V I R G O erat ex filiabus Aaron. quæ nihilominus tamen Gabriele teste erat cognata Elizabeth, nulla affinitatis necessitudine intercedēte: quo-  
modo fabula illa de Ioanne viii. semi-  
na impudentissimè facta, stultissimè

cre-

credita sit è mentibus hominum ex-  
plodenda: quomodo denique hoc re-  
cens, illud verò antiquum dogma Ec-  
clesię cognoscendum, hanc orthodo-  
xam & piam , illam scelestam & blas-  
phæmam doctrinam esse credendam,  
hanc traditionem patrum antiquorū  
esse, istud verò commentum nouitio-  
rum Euangelistarum agnoscendum.  
Non aliter certè quam à vero sensu hi-  
storiarum, quem nisi è meditullijs au-  
torum Theologus erutum habeat, sic  
nescio quomodo ingeniosus , sit elo-  
quens, sit exercitatus, tamen aridus ac  
balbus appareat necesse est, nisi anti-  
quitatis lumine , densam hanc caligi-  
nem interpretantium pellere queat.  
Vnde haud immerito Antistitium  
Antistes , magnus ille Augustinus ,  
*Quidquid (inquit) de ordine temporum  
transactorum indicat ea quæ appellatur hi-  
storia , plurimum nos adiuuat ad sanctos  
libros intelligendos . Et iterum . Per*  
Olym-

August. de  
Doc. Chri-  
stia. c. 23.

## De fructuosa ratione

Olympiadas, inquit, & per Consulatum nomina, multa sèpè queruntur à nobis: Ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coagit errare. Tum paulò inferius. Ne aliundè caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio, liquidiùs certiusq; colligitur. Hæc Augustinus. cui comitem nouum do, sed magnum & doctum Theologum. Viri omnes docti (inquit) consentiunt, rudes omnes Theologos illos esse, in quorum lucubrationibus historia mutatur. Mibi quidem non Theologi solum, sed nulli satis erudit i videntur, quibus res olim gestæ ignotæ sunt. Multa enim notis è Thesauris suis suppeditat historia, quibus si careamus, et in Theologia, & in quacumque alia fermè facultate inopes sèpè numero & indocti reperiemur. Cum vero pateat quandoque in re quadam gesta Theologicæ disputationis cardinem verti, quis est hic qui neget interdum etiam in Scholastica disputatione opus esse ex Annalium monumentis, testes excitare clarissimos veri-

Melch. Canus Epist. Canar.  
Loc. Theolog. lib. 11.  
cap. 2.

Deo Cui  
Anno 1533  
Dicitur

veritatis? Huc usque ille. atque ego simul. qui sacras litteras historijs certam profanis illustrari, his breuibus monstrando, Traditiones Apostolicas non adiumentum modo, sed robur omne ferè & firmamentum debere historiæ, cum Ioanne Bernartio optimo hac in rescriptore, nihil vereor adferere.

## CAPVT V.

*Quid Iurisconsulto accedit ex historia breuiter declaratum.*

**Q**VANTAM lucem futuro Iurisconsulto adferat historiarum cognitione, vel solus ille Clarissimus eruditissimusq; Læuinus Torrentius, de cuius laude neque hic locus est ut plura dicantur, neque plura dici possunt, quam omnes boni, omnes litterati memoria tenent, optimè docebit, Iuris prudentiæ iniquiens studium tale esse,

## *De fructuosa ratione*

L. Tor. in  
pref. Com.  
ad Suet.

*in quo nemo excelleret, qui non historiæ ac antiquitatis omnis peritiam sibi comparasset.* Nam omnium inde veterum Legum, Plebiscitorum, Senatusconsultorum, Edictorum Constitutionumq; facillime fragmenta colliget, omnium ibi mores consuetudinesq; velut in speculo videbit, de omnibus inde institutionibus, substitutionibus, bonorum possessionibus, stipulationibus, actionibus, publicis iudicijs, similibusq; Iuris obiectis rectissime poterit differere, imò singulis Iurisperitorum responsis lucem ab illo dare. Exemplo pro sexcentis alijs sit vnicum illud Vlpiniani.

*Est quoddam genus quasi in Insulam relegationis in prouincia Ægypto, in Ouasin relegare.* Anxiè hic antiqui querunt, quid sit in Ouasin relegare; & nescio quam nouam relegationis spetiē somnient: cùm, si vel vnum legissent Euagrium Scholasticum, scire potuissent nihil aliud significari, quam locum

de-

L. 7. §. est.  
ff. de inter.  
& rel.

Euag. Scho  
last. hist. li  
bro 1. c. 7.

desertum in Africa, in quem nocentes  
olim frequentius relegari solebant.  
Quis etiam vel Heraclitus non rideat  
Accursij Comm̄tarium ad illud acu-  
tissimi Papiniani responsum : *Ideo con-  
demnatus, quod artiorem annonam adulita-  
tis tempore praebeuit, frumentariæ pecuniaæ cre-  
ditor non videbitur, & ideo compensationem  
babebit?* Imò, quod mirere, ex recen-  
tioribus etiam viri magni fluctuant,  
& locum haud sanum perhibent, se-  
rioq; nituntur persuadere expulsa *edu-  
litatis* voce, legendum *edilitatis*. Con-  
tinete manum interpretes, nullum hic  
dubium . adite vel vnum Lampridiū,  
& clarè non per dioptram , videbitis  
Iurisconsulti mentem . Sed præclarè  
hac in re Io. Vvolfangus Treimonius  
Bauarus , edidit Symphoniam iuris v-  
triusque Chronologicam, in quā non  
modo omnium Pontificum , Consul-  
lum Romanorum & Imperatorum Iu-  
risperitorum , item tam veterum quā

recen-

L. 17. ff. de  
comp.

Bud. Hal.  
Alciat.

Lamp. in  
Alex.

## *De fructuosa ratione*

recentium nomina, successiones, æta-  
tes, in vnum opus colliguntur, sed etiā  
quid ab unoquoque vel Imperatore,  
vel Pōtifice, in utroque iure sancitum  
sit & constitutum, & quæ constitutio-  
nes in Codice aut in Nouellis, quibus  
Consulibus, quo anno, quo mense,  
quove die factæ sint; quid item ex re-  
sponsis prudentum in singulas Pande-  
ctarum leges translatum, magna cura  
& diligentia, secundum temporum or-  
dinem exponitur. & additur præterea  
succincta delineatio originis & succes-  
sus tam Imperij, quam Iuris Romani à  
primis Vrbis temporibus usque ad Iu-  
lium Cæsarem. Forsterus quoque edi-  
dit Historiam præcipuorum Iuriscon-  
sultorum, & rectè, ex sententia Nico-  
lai Oudaerti inquietis; *Cum posterior lex*  
*priorem abroget, vel ei deroget, nihil esse uti-*  
*tilius, quam legum ac Iuris auctorum quan-*  
*dam veluti chronologiam inuestigare, et a-*  
*temq; singulorum scire.* quia scimus quo-  
que

que familiare esse ac tritum vulgo interpretibus, & imperitis quibusdam baburris, in libris, in colloquijs, in scholis, leges Digestorum neque paucas & ponderosas eleuare vel eludere, quasi per legem aliquam Codicis corrigerentur. Citetur, exempli gratia ex Digestis responsum aliquod Papinianni, Florentini, vel Modestini; illi, ne prorsus obmutescant, non verebuntur respondere, per rescriptum aliquod D. Hadriani vel D. Pij in Codice relatum, prædictorum Iurisconsultorum, corrigi responsum. adhibeas tu Doctorum scholia; abnuent, & se in nullius magistri verba iurasse dicent. Verba Iurisconsulti vrgeas; ineptissima sua exceptione obsitent. In summa, quod habet vetus verbum, Si tu proreta isti nauies, illi gubernatores erunt. atque hoc pacto firmissimum eludent argumentum, nisi tu ex historijs didiceris, qua quisque ætate Iurisconsulto-

*De fructuosa ratione*

rum vixerit, & calamistratos istos milites in solem & puluerem è suis umbraculis euocatos, valentissima causa & certissima veritate debilites; quam stultum sit adfirmare Imperatorem aliquem suo rescripto eius corrigerent sententiam, qui cum ille ipse Imperator in viuis esse desisset, natus nondum erat, clarè edoceas. Quis ergo iam tam stupidus, ut non percipiat, non leuem, sed maximè grauem, non infructuosam, sed omnino vtilem de Iurisconsultorum ætate inquisitionē? Quid historiarum ipsarum cognitionem? Nec est certè quod aliquis hic mihi obijciat Bartholum, Baldum, Castrensem, Iasonem, & huius notæ similes viros magnos certè, & ingenij acumine monstrabiles. sed adeò maiores multo futuros, si antiquitatis faciem habuissent prælucentem, & ut noui Iustinianei habeant, serio moneo, anteaquam Institutionum tutissimo

portu derelicto , ingenioli sui cymbam in vastum Pandectarum conijciant pelagus; Offerent enim se Primo ingressu quæ de officio omnium magistratum ac iudicum integro penè primo Pandectarum libro; quæ de imperio mero ac mixto , de in ius vocando , de vadimonijs obeundis , de non eximendo eo qui duceretur, Secundo; de his qui notantur infamia , Tertio ; tractantur . Accedent quæ tam varijs multisq[ue] locis de solemnitatibus testamentorum , calatis comitijs , libripende, ære ac libra, de institutionibus & legatis caducis , de S. C. Silliano ac Claudiano, libertinis, manumissionibus, iure patronatus, actione ingrati , iure patriæ potestatis, iure aureorum annulorum, censibus, deportatis , relegatis, emancipationibus , iure postliminij , iudicijs publicis ferè omnibus , de lege Attilia , Afinia , Cincia , Cornelia , Fabia , Falcidia , Fania , Iu-

*Distinctius  
ostēsum ne  
cesariā Iu-  
risconsulto  
historiarū  
cognitionē*



## *De fructuosa ratione*

nia, Norbana, Papia, Lætoria, Lici-  
nia, Popæa, Petronia, Scribonia, Iu-  
lia caducaria, Iulia Titia, Iulia miscel-  
la, alijsq; quas recensere longum fo-  
ret, enarrantur. quæ si quis sine histo-  
riarum præsidio intelligere se posse  
sperat, ideo certè facile exspectaret,  
ut de glacie media nascantur violæ, de  
niuibus rosæ, de pruinis lilia, & ut vni-  
co verbo audacter dicam & cōcludā,  
nullus in iure titulus illustris, qui ab  
historia lucem non accipiat aliquam.

*Omnibus  
Iuris libris  
lux ab histo-  
ria.*

## CAPVT VI.

*Quid historia Medicis conferat bre-  
uiter dictum et exemplis  
illustratum.*

**I**Nstabit fortasse tota Medicorum  
classis, & Hippocratem, Galenum,  
Auicennam, magistros se habere di-  
cet, historias vero ne minimum qui-  
dem

dem societate medicinam contingere : sed haud prudenter certe & considerate, cum salutare ex eis sit & efficax non contra corporis solum morbos remedium, sed contra ipsos etiam animi affectus . Nam da tyrannum aliquem , qui seruis non ciuibus se praefesse credit , cui nihil iniustum videntur quod fructuosum , & qui cum scelerato Caligula scelerate iactet , *Omnia sibi, & in omnes licere :* ecce tibi statim ex historiarum officina animalium medico paratum antidotum : *Sit ante oculos Nero , quem longa Cæsarum serie tumentem , sua immanitas , sua luxuria ceruicibus publicis depulere .* Cedo mihi iterum tumidum aliquem ac insolentem , qui libidinem solum dominandi causam belli habet , & maximam gloriam in maximo Imperio ponit : ecce tibi medicamentum salutare ex historia , *Sæpè contemptus hostis cruentum certamen*

*Historia vera animalium medicina.*

Suet. Ca-  
lig.

Tac.hist.i.

*De fructuosa ratione*

edidit, & incliti populi regesq; perleui mo-  
mento vieti sunt. Et simul educ Xer-  
xem in aciem quinquagies, & bis cen-  
tenis octoginta tribus militum mili-  
bus ( Herodoto teste ) superbū sex  
millium omnis generis nauium classe  
maris quasi dominum ; Asiam Euro-  
pæ ad Hellespontum ponte coniun-  
gentem ; & docetantas copias exigua  
Spartanorū manu ad Thermopylas ,  
Duce Leonida, remoratas; classem ad  
Salaminem consilio ac prudētia The-  
mistoclis depresso, tam elati animi  
regem vna scapha trepidē clapsum ,  
domi à suis miserè confossum. Da mi-  
hi iterum stultum aliquem ob res se-  
cundas exultantem , vel infida fiducia  
in principum gratia se extollentem :  
ecce tibi validum ex historia antido-  
tum . Simul parta & sperata decora vnius  
horæ fortuna euertere potest , nolite præsenti  
credere fortunæ , cùm quid vesper ferat , in-  
certum est . Si rideat probè monentem ,  
& dul-

Herodot.  
lib. 7.

Liu. li. 30.

& 45.

& dulcia hęc corruptus stomachus re-  
spuat remedia ; ecce tibi amara quę  
mordeant . Polycrates Tyrannus ille  
Samius , ab Oronte captus & in Mi-  
chalesi montis vertice cruci adfixus .  
Scianus Tiberianum illud mancipiū ,  
in Gemonias vncō tractus & à populo  
maximo ludibrio habitus in Tiberim  
tandem missus . Sed hos attuli ut ani-  
morum medicinę gustum aliquem ex  
historia darem : nunc corporis etiam  
aliquem dabo . Excute Annales , &  
intelliges Alphōsum Hispaniæ regem  
valetudinem , quam ei ex Hippocra-  
te suo vel Galeno restituere medici nō  
poterant , solius Liuij lectione recupe-  
rasse : Ferdinandum Siciliæ , quem de-  
speratæ sanitatis iudicarant medici ,  
Q. Curtij sola lectione recreatum at-  
que refectum : Magnum illum Laurē-  
tium Medices , Medicæ artis frustra  
adscitis subsidijs , vnica illa quę de  
Conrado III. Imperatore in obsidio-

*Historia  
morbis cor  
poris inter-  
dum mede  
tur.*

## *De fructuosa ratione*

ne Guelphi Bauariæ Ducis fertur hi-  
storia, sanitati restitutum . Sed quem-  
admodum si gubernator placido ma-  
ri vehatur, nullo admirante illaudatus  
& inglorius subibit portū: sic nec me-  
dico in explorando morbo Historiæ  
vllus vſus, cum æger voce & confessio-  
ne artem iuuat: at si tegat, dissimulet,  
hic labor, hoc opus, hic status rerum  
quo historia adhibenda in consilium:  
folius enim prudentiæ anchora susti-  
neri potest fluctuans hoc nauig iū: Pru-  
dentia sola, quę quasi Theseo filo diri-  
get te in hoc labyrintho , & ducet ad  
ocultum morbi centrū . Quam non in  
ciiali ac militari modò re, sed ēt in hac  
medica posse haurire ex antiquitatis  
hoc fōte, Principis Philosophi prudēs  
nepos, doctissimus ipse medicus, mihi  
testis. Antiochus Seleuci regis filius in-  
credibili Stratonices amore flagrabat,  
ostiū pectoris nulli mortaliū reclude-  
bat, inedia mori destinabat. Vocantur  
peri-

peritissimi medici , artis præcepta oīa  
adhibent, nihilq; intentatū relinquūt,  
quo oculti morbi huius causā eliceāt :  
tandem desperatæ sanitatis Antiochū  
iudicant. Solus Erasistratus, Aristote-  
lis ex filia nepos, métem cana hac pru-  
dentia imbutam gerens, ex sola ad in-  
gressum & egressum Stratonices colo-  
ris mutatione , morbi causam depre-  
hendit . At non satis morbum ipsum  
cognoscere, oportet ex arte applicare  
remedium: quod appositè sæpius non  
faciet ipse Galenus , nisi mentē habeat  
cana hac historiarū prudētia imbutā .  
Etenim ut in telis eadem ferri vis est ,  
sed multum interest vtrūm excusso la-  
certo torqueantur, an remissa manu ef-  
fluāt, à viro vel puero veniant : sic licet  
idem sit remedium quod datur , in-  
terest tamen quām maximè quomodo  
applicetur . quinimò quemadmodum  
folia virere per se non possunt , ra-  
mum desiderant cui inhæreāt, ex quo

De fructuosa ratione

trahant succum: sic medicæ artis precepta, si sola sint, marcent, infigi volunt in veræ prudentiæ ramo. Multa & ignorantibus ægris curanda sunt (inquit Romanus Sapiens) & multis mortis causa morbum suum nosse. adde & eam sæpè ægrorum esse conditionem, ut remedia respuant non secus ac venena: neque ideo medico satis est cognoscere ex arte quid usui futurum, nisi Prudenter fuggerat, quomodo naturæ ac conditioni vniuscuiusque inseruiat. Et facile id ostendi potest in lucido historiarum speculo, perprudens illud prudentis medici factum in puella regia curanda, abhorrebat illa sectionem, & ille sine ferro curare non poterat. Quid egit? dum tumentem mammam leniter fouet, scalpellum spongea rectum induxit, & ita incidit. Nec dissimile huic solers illud solertis medici consilium in phrenesi tollenda dabat operam cuidam ægro, qui cibum

Lycost. in  
The. hum.  
vit.

bum capere nolebat, eo quod se mortuum diceret. submisit qui sub eiusdem insaniæ specie propter illum in lecto collocaretur; & cum se mortuum clamaret, cibum nihilominus non recusaret. graphicè agit personam personatus hic insanus. ille qui vera insania laborabat, rogauit statim an mortui etiam ederent? adfirmat alter: atque hoc dicto cepit magis cupidè mandere. Quo exemplo ductus phreneticus, & ego quoque mortuorum more pransurus sum, inquit. confessim itaque cibum sumere cœpit, paucisq; interiectis diebus ex medici sententia morbo liberatus est. Hæc & similia si ex historijs obseruauerit medicus, quemadmodum ei qui iaculari discit, satis est initio, si manum formet ad certum locum, postea cum hanc viam ex disciplina & exercitatione percepit, quocumque voluerit arte ea usurpus; sic facillimè exempla hæc ad alia quævis

transl-

## *De fructuosa ratione*

transferet, nec monitorem in singulis  
requiret. Quo constituto, quis ille  
bucco qui neget magnum cùm adiu-  
mentum, tum ornamētum etiam me-  
dico accedere ex historia? præfertim  
si legerit libellum Ioannis Schenckij  
in quo collegit historias pertinētes ad  
artem medicam.

## CAPVT VII.

*Fructus quem Philosophus decerpit  
ex historia.*

*Scholarum  
abusus.*

**C**Vm philosophia sit animi mor-  
borum & affectionum medicina;  
idcirco ne aliquem hic nomen illius  
fallat, serio præmoneo, non intellige-  
re me illam squalidam & personatam,  
quā vulgus hodie tantūm nouit & quę  
malis scrupis, malis tribulis scmitā ad  
legitimam illā diuā impleuit, in nugis  
quibusdā Sophisticis sibi placet, in eo  
superciliū attollit, prauis captiunculis  
inge-

ingenia torquet, imò corruptit: Sed veram illam, splendidam, ac claram reginam, quæ mores componit, animum format, nihil opinionis, omnia conscientiæ causa facere docet, virtutes ostendit in vero suo vultu, affectibus frenum injicit, mentem à corpore deducit, animum Deo ac recte rationi subiicit, & animo ceteras res humanas. Maximè quę doeet, beatū non eū esse, quę vulgus appellat, ad quem pecunia magna cōfluxit; sed illū cui bonū omne in animo est, erectum & excelsum & mirabilia calcātem; quæ hominem ea sola parte æstimandum docet, qua homo est, id est qui natura magistra vtitur, ad illius leges cōponitur, sic vivit quomodo illa præscripsit; quę aliqua vis mouet, nulla perturbat. Et hac distinctionis face sic prælucente, adserimus, vt arbori radicem si amputes, truncum sine succo relinquas: sic Philosophiam sine neruis, si ab ea auferas histio-

*Philosophie  
pars quæ ad  
mores præ-  
cipua vel po-  
tius sola.*

## *De fructuosa ratione*

historiæ venam . Cui rei probandæ nihil opus est ut laborem , nā ipsi Philosophi non pedibus modò , sed vtrage manu in hanc sententiam eunt , historiam philosophiæ fulcrum agnoscunt . *Longum iter est* ( inquit magnus Philosophus ) *per præcepta , breue et efficax per exempla* . id est , magis paucis mentes humanæ exemplis , quām verbis mouentur plurimis , hæc autem talia quid aliud docent , quam cohibere affectus , ingerere virtutem , & quæque asperrima æquo animo ferre ? *Ex istis* , inquit idem Sophus , quæ terribilia videntur , nihil est inuictum . Singula vicere iam multi , ignem Mutius , crucem Regulus , venenum Socrates , exilium Rutilius , mortem ferro adactam Cato ; et nos vincimus aliquid . Rursus ista quæ ut speciosa felicia trahunt vulgum , à multis et sèpè contempta sunt . Fabricius Diuitias Imperator reiecit , Censor notauit . Tubero paupertatem se dignam et Capitolio iudicavit .

*Exemplis  
optimè do-  
cetur.*

Seneca epi-  
stola 6.

Epist. 98.

uit. Honores repulit pater Sextius: qui ita  
natus, ut Rempub. deberet capessere, latum  
clavum Diuo Iulio dante non recepit, intelli-  
gebat enim, quod dari posset, & eripi posse.  
Nos quoque ex his aliquid faciamus animo-  
sè: Sed vt & alijs persuadeamus aut  
proponamus, monet nos in Oratore  
magnus Orator. Cognoscat Orator rerum  
gestarum & memorie veteris ordinem, ma-  
ximè scilicet nostræ ætatis; sed & imperioso-  
rum populorum & rerum illustrium, quem  
laborem nobis Attici nostri leuauit labor, qui  
conseruatis notatisq; temporibus, nihil cum  
illustre prætermitteret, annorum septingen-  
torum memoriam uno libro colligauit. Ne-  
scire autem, quid antequam natus sis, accide-  
rit; id est semper esse puerum. Quid enim est  
ætas hominis? nisi cum memoria rerum ve-  
terum cum superiorum ætate contexitur. Com-  
memoratio autem antiquitatis, exexplorumq;  
prolatio, summa cum delectatione, & auto-  
ritatem orationi adfert & fidem. Hæc il-  
le. Quàm alte! quàm aptè ad nostram

Cicero in  
Oratore.

## *De fructuosa ratione*

*Adhoc  
tio ad his-  
toriarum le-  
ctionem.*

mentem ! nunquam probius Philo-  
phum vult fungi munere, nisi cum  
exemplis ex omni memoria petitis do-  
ctrinam illustrat . Quis igitur tam he-  
bes , qui iam non capit Philosophum  
mutum qui de historia filet ? quis tam  
fatuus , qui fatuum me non iudicet ,  
si rebus tam claris probandis diutius  
immorer ? modo iuuenes sint histo-  
riarum cognitione exactè imbuti , an-  
tequam ad altiorem aliquam se con-  
ferant disciplinam : aut si qui tempe-  
stiuīus huc se præcipitarunt , eos  
posthac aliquamdiu seriam  
operam antiquitatis  
cognitioni vo-  
lo imper-  
tiri ,  
nec antea se iudicare ido-  
neos , qui ad metam  
tendant .



CA-

CAPVT VIII.

*Quæ contra historiam dici possunt  
breuiter allata.*

**D**iximus omnem virtutem in duas partes , contemplationem scilicet veri , & actionem , diuidendam ; hancque illi omnium sententia præferendam esse , quam sine Prudentia dirigi non posse , nemo sanè est qui non existimet . Prudentiam verò ex cunctu rerum esse , itidem apud omnes prudentes in confessu est . Sed euentum nusquam melius cognosci quam ex historia ; ne ego quidem ipse concedere possum . cum sciam uti ex spongia succum aliquem liquoris facilè exprimas , nunquam fœcundam scaturiginem ; sic ex historia guttulas forte aliquot Prudentiæ , nunquam diuitem venam . Et quidem quæ magna Prudentia est scire

D      quo;

*De fructuosa ratione*

quot nauibus Græci venerint ad oppu-  
gnandum Ilion? Vtrum Romulus  
aut Remus Amulij imperio in pro-  
fluentem proiecti, beneficio Faustuli  
pastoris regij collecti, seruati sint ac  
educati, ut vulgus scriptorum tradit?  
An verò supposititij infantes ad Amu-  
lium delati, eiusq; arbitrio necati sint,  
gemini verò procurāte Numitore auo  
materno Faustulo commissi? Vti insi-  
nuat Halicarnassæus. An ipsa Siluia  
à partu leuata & stupri rea patrui iussu  
viua fuerit defossa, an in carcerem de-  
precante Antho Amulij filia cōiecta,  
indeq; Amulio interfecto, filij Romu-  
li beneficio erepta ac restituta? An  
Remus in pugna ceciderit, an verò dū  
nouę vrbis vallum irridet, iussu fratris  
interemptus? Quis primus Romæ  
triumphauerit, quando introducta  
Ouatio? Quis primus Dictator aut  
Magister equitum? & alia deinceps hu-  
iusmodi notæ: quæ siue contineas, ni-  
hil

hil tacitam conscientiam iuuant, siue proferas, non prudentior videberis, sed molestior. quis vnquam quod illa non teneret, aut etiam negligeret, minus propterea vir bonus aut minus utilis patriæ ciuis æstimatus est? Quid horum ad prudentiam viam sternit? causas rerum aperit? Quid nobis in vita experendum aut sequendum, quid declinandum aut fugiendum docet? quid ad exploranda hostium consilia, quid ad ducendum exercitum, ad ordinandam aciem, compescendam seditionem, dissoluendum metum iuuat aut prodest? audite è sapientiæ penetrati Romanum Sophum, quicunque in his tricis vobis placetis, & erubescite. *Quid annos Patrocli & Achillis, inquit, inquirere ad rem existimas pertinere?* *Quæris Ulysses ubi errauerit potius, quam efficias ne nos semper erremus?* non vacat audire utrum inter Italiam, ac Siciliam iactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque

Seneca epistola 88.

## De fructuosa ratione

enim potuit in tam angusto error esse tam  
longus. Tempestates animi nos quotidiè ia-  
stant, & nequitia in omnia Ulyssis mala im-  
pellit; non deest forma, quæ sollicitet oculos,  
non hostis: hinc monstra effera, & humano  
cruore gaudentia: hinc insidiosa blandimenta  
aurium: hinc naufragia, & tot varietates  
malorum. Hoc me doce, quomodo patriam  
amem, quomodo uxorem, quomodo patrem,  
quomodo ad hæc tam honesta vel naufragus  
nauigem. Quid inquiris an Penelope impu-  
dica fuerit, an verba seculo suo dederit, an  
Ulyssem illum esse, quem videbat anteaquam  
sciret suspicata sit? Doce me quid sit pudici-  
tia, & quantum in ea bonum: in corpore an  
in animo posita sit. Sed de Græcis fortas-  
se ista scriptoribus dici putas, apud  
quos quid rogo tam fidum ut securus  
expeches? qui perpetuum illud litigan-  
di studium intersese mutuo reprehен-  
dentes obseruant, adeò ut nihil firmi-  
ter scientes videantur tradidisse, sed  
quod quisque opinatus est, id posteri-  
tati

tati persuadere voluisse. ut non vanè  
eos tali elo<sup>gi</sup>o Poeta ornarit

— — — *et quidquid Græcia mendax*

*Audet in historia* — — —

Iuuenal.  
Sat. 1.

Cic.de leg.  
1.

Quint. lib.  
2.instit. C  
rat.cap.4.

In 27. cap.  
Ezech.

Cui, si fidem eleuas, addam à grauif-  
simis viris pondus *Apud Herodotum*,  
( inquit vnuis ) *historiae patrem*, & apud  
*Theopompum* sunt innumerabiles fabulae.  
cui consentit pulchrè alter, *Græcis hi-*  
*storijs plerumque poeticæ similem esse licen-*  
*tiam*, adserens; Similiter Diuus Hiero-  
nymus cum de Græcorum histo-  
rijs loquitur *Non debemus*, inquit, co-  
rum au<sup>r</sup>oritati acquiescere, quorum men-  
dacia detestamur. Et iure sane, nam  
Xenophon inter primi ordinis scri-  
ptores philosophus quid non fingit,  
dum Cyrum nobis describit? Dio  
per omnes honorum gradus bis ad  
Consulatum euectus, quam peruer-  
sa de Cicerone, Bruto, Cassio, Se-  
neca, & omnibus selectis Roma-  
nis iudicia protulerit? Sed & Ro-

*De fructuosa ratione*

mani scriptores quales fuerint? Vide.  
Flauius Vopiscus cùm ipse met historiam scribebat, fateri tamen non vertitur, nullum historiæ scriptorem esse, qui non sit aliquando mentitus, multaq; in Liuio, Sallustio, Tacito, Trogo esse, quorum fides manifestis testimonijs labefactari posset. Vnde fidenter se accingi ad scribendum historiam ait, quandoquidem habiturus esset mendaciorum socios. Velleum Paterculum, Iustus Lipsius, & Ioannes Bernartius tāquam fœdissimum adulatorem execrantur. quod Ælium Seianum, bonorum exitio natum monstrum, quasi supra homines extollat. At Iosephum historiæ Iudaicæ principem multa ex diametro cum sacris litteris pugnantia tradere scio. Eusebium Cæsariensem, inter Ecclesiasticos scriptores celebrem, à Patribus VII. Synodi Arianæ hæreseos defensorem iudicatum Bernartius putat.

tat. Zozomenum historiæ tripartitæ  
columen magno Gregorio iudice mé-  
dacem, & Theodorici hæretici patro-  
num. Socratem Nouitianorum hæ-  
resi maculatum. Iulium Africanum  
à Gelasio Pontifice damnatum. Pau-  
lum denique Iouium tamquam men-  
dacem, & maculis aspersum, cum à  
pluribus alijs tum maxime à Bartolo-  
mæo Kickermano rejci. Quis enim  
nō rideat, eos qui interiori principum  
consilio (quales plerique sunt histori-  
ci) nunquam fuere adhibiti, res nullas  
maioris mométi tractarūt, sed cōmē-  
titias ac vulgo & forensibus sermonis-  
bus iactatas causas tantū cognouerūt,  
maiori nescio temeritate, an impuden-  
tia, de summis Rerum pub. moderap-  
toribus sententiam ferre; & cum nul-  
lam Reipub. partem vñquam attige-  
rint, nedum ultra crepidas futores, vt  
in Adagio est, sed de coloribus cęci iu-  
dicant. cùm nunquam castra, num-

Act. 6.

Greg. lib. 6  
epist. 31.1. Sancta  
Rom. Eccl.  
dist. 15.

32 De fructuosa ratione

Paul. AE-  
mil. apud  
Liu.

quam acies viderint, tamen in amico-  
rum circulis imò (vt magnus olim Im-  
perator conquerebatur) etiam in con-  
uiuijs exercitus ducunt, vbi castra lo-  
canda sint sciunt, quæ loca præsidijs  
occupanda, quando, & quo saltu in-  
tranda Macedonia, vbi horrea ponen-  
da, qua terra, mari subuehantur com-  
meatus, quando cum hoste manus  
conferendæ, quando quiescendum sit,  
sciunt. neque quid melius faciendum  
sit modo statuunt, sed quidquid aliter  
quam ipsi censuere factum est, Cōsu-  
lem veluti dicta die accusant; denique  
cum ocium vrbanum militiæ labori-  
bus præferunt, è terra tamen gubernare  
volunt. Quis igitur non videat,  
quam ineptum sit, tam insulsis præce-  
ptoribus te committere, & his duci-  
bus ad Prudentiæ calcem velle pertin-  
gere? At certè exempla continentiaæ,  
frugalitatis, temperantiæ, aliarumq;  
virtutum historiæ suppeditabunt, in-  
quis,

quis, omnesq; ad laudem & gloriam honestissimis factis extimulabunt. Quę obsecro frugalitatis ac continentiæ exempla? Sardanapali, Caligulæ, Neronis, Commodi, aliorumq; simillium belluarum non hominum fœdæ libidines, & abominanda facinora, quæ tam accuratè à plerisque historiis describuntur? Eiusmodi authores, utinam solùm non prodeffent: nocēt, & rectissima ingenia corrumpunt, multaq; praua ac vitiosa nunquam auditæ aut vſitata docent. Consultiusq; esset, sicut maximus ille Plato Poetas, quod molles leuesq; lectors facerent, è Repub. sua eiecit, historicos hos mendaciorum conflatores, omni rerum vſu deſtitutos deliros Phormiones, ac verè vitiorum Magistros eijcere & extermicare.

*De fructuosa ratione*

CAPVT IX.

*Refutata ea qua contra historiam al-  
lata, & simul ostensum qui  
Historici optimi.*

**N**on quamlibet Historiam ad Pruden-  
tiam prodeesse & ego cum ad-  
uersarijs lubenter ac volenter fateor,  
dum certocertius sciam, vt nō quam-  
uis terram venam habere latentium a-  
quarum; sic nec historiam promiscuè  
fœcundam Prudentiæ scaturiginem,  
sed multos illarum autores esse vanos,  
leues, & nullius seriæ curæ ac fidei, at-  
tamen non omnes. Et si Dionem illi  
ex Græcis, Herodotum, Xenophon-  
tem proferunt, Thucydidem, Poly-  
bium, Plutarchum ego oppono, qui  
legitimam historiæ viam viderunt, &  
fixo pede peragrarunt. Thucydides  
sanè fidus omnino scriptor, & quem  
prin-

*Thucydi-  
des optimus  
scriptor.*

principem Senatus historici, si mei arbitrij res foret, cum prudentissimo Lipsio legere non dubitem. Si in scriptis eius veritatem habitare dixero, ipsam non dubito quin suffragat sim habiturus. In exilium ciectus a suis Atheniensibus (quod maximis ferè quibusque viris cotigisse dolemus) ita tamen scripsit, ut ne exul quidem ullo male erga Athenienses affecti animi indicio sua scripta adsperferit, imò adeo veritatis amans ac moribus moderatus, ut ne Brasidē quidem (qui calamitatis autor ipsi fuerat) usquam in sua historia præ ira aut odio maledixerit. & infestissimum sibi Periclem non solum a calumnijs vindicauit, sed prudentiae aliarumq; virtutum nomine sincere commendauit. Omnes vero dicendi artificio (ut Tullij verbis vtar) mea sententia facile vincit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum propè numerum, sententiarum

*Verus.*

*Marcell. in  
Vita Thucydid.*

*Ab affecti  
bus immu-  
nis.*

*Vide Thucyd.lib.2.  
Cic. de Thucyd.2. de  
Orat.*

*Eloquens.*

*De fructuosa ratione*

numero consequatur, ita porrò verbis aptus ac pressus, vt nescias vtrum res oratione, an verba sententijs illustrentur. Quę in causa fuisse existimo, quòd Demosthenes propria manu octies eū descripscerit. Et quod aduersarij maximè in historicis requiri volunt, noſter Thucydides regia stirpe clarus ac illustribus planè maioribus ortus, rebus gerendis non ſolum interfuit, ſed præfuit, & in bello Peloponensi legationes & Præturas obiuit. Similiter

*Idoneus iu-  
dex.*

*Polybij hi-  
ſtoria pro-  
ba.*

Polybium in ciuili ac militari disciplina diutissime ſe exercuisse, magnam Europæ partem, oram Africæ, & Afriā minorem, vt populorum mores inteligeret, peragrasse; denique, quod maximum eſt, magni Scipionis Africani moderatorem, ac bellorum vbiue ſocium fuisse, nemo vel in vestibulo adhuc antiquitatis constitutus ignoret. Veritatem certè & salutaria monita ſi in eo deſideras, aquā in profluēte quæris.

ris. Nec nostro quoque præconio indi-  
get Plutarchus, qui nedū in ipsa Prin-  
cipum aula diutissimè vixit, sed Impe-  
ratoris Traiani moderator ac Istriæ et  
Præfectus extitit, si quis alius rerū opti-  
mus iudex. Nec nimium quoque de-  
primendus est Xenophon circumspe-  
ctus sanè scriptor, qui non ad historiæ  
fidem Cyrum nobis descripsit, sed ad  
effigiem iusti Imperij. Dionem Cassiū  
& Herodotum apud antiquitatis peri-  
tos cōfregisse tesseram largior, sed fa-  
teor, & probatæ quoque fidei histori-  
cos apud Græcos esse, quos vide apud  
Lipsum in Notis ad Polit. apud Latini-  
nos autē multo plures, ac inter eos Li-  
uius à Flauio Vopisco reprehensus, ita  
ab affectibus liber, vt historia illius  
diuulgata, præcipue quæ bellum illud  
ciuile inter Pompeium, & Iulium con-  
tinet, plurimi Sancto Hieronymo te-  
ste ex ultimis Hispaniæ, Galliarumq;  
finibus viri illustres Romam venerint

*Itidem Plu-  
tarchi.*

*Liuius de-  
fensus.*

vel

Tac. An-  
nal. 4.

Taciti histo-  
ria probatis-  
sima.

De Ammia  
no nostra se-  
tentia.

## *De fructuosa ratione*

vel ob hoc solum, ut Liuum nostrum  
tantis animi dotibus clarum contue-  
rentur, de quo Tacitus ipse, Titus  
Liuius eloquentiae ac fidei præclarus in pri-  
mis. Gn. Pompeium tantis laudibus tu-  
lit, ut Pompeianum eum Augustus (cum  
quo arcta familiaritas Liuio interces-  
serat) appellari. Sed ipsum Tacitum  
videamus, qui historiam rerum gesta-  
rum à Tiberio usque ad Neruam tam  
accuratè, verè, ac prudèter descriptis,   
ut æqui rerum æstimatores non solum  
seminarium salubrium præceptorum  
historiam eius esse, sed nihil unquam  
accuratiùs ab ullo historico scriptum  
fateantur. Et ne eum ut priuatū asper-  
neris, floruit ille diutissime in milita-  
ri urbanaq; disciplina. Procurator da-  
tus Galliæ Belgicæ à Vespasiano, Præ-  
tura deinde, imò imperante Nerua.  
Consulatu auctus, historiæ scribendæ  
senex demum vacauit. Excepit filium  
historiæ eius Ammianus Marcellinus:  
quam

quam licet pari laude non pertexuit,  
tamen cùm in Gallia , & Germania  
sub Iuliano Imperatore, multos annos  
militarit, atque adeò multis bellis à se  
descriptis interfuerit, ne hunc quoque  
reijcite Prudentiæ candidati. Virtu-  
tes certè ac vicia Principum sine adfe-  
ctu notata videbitis , & sic præcipuo  
( Tacito quidem iudice ) annaliū mu-  
nere probè eum functum ac defunctū  
obseruabitis . C. Sallustium præte-  
ream? absit. etenim hic est de quo,  
vt multi perhibent , magno applausu  
hi versiculi Romæ circumlati sunt :  
*Hic erit, vt perhibent, doctorū corda virorū,*  
*Crispus Romana primus in historia.*

&, vt legitimi quique censores cēsent ,  
verè suo merito. Sed ò nimiam pro-  
fecto studiorum iacturam ! paucula-  
tantum fragmenta ex diuite hoc hi-  
storiarum thesauro habemus : que tā-  
quam probatissima omnes probi pro-  
bant. Agmen mihi claudat magnus  
ille

Tac. An.  
nal. 3.

## *De fructuosa ratione*

ille Cæsar, qui res à se gestas tanta ele-  
Plu.in Cef. gentia ( quod Plutarchus adfirmat )  
conscriptis, ut huius ampliandæ ma-  
terię studium sumere sibi nemo sit au-  
sus, in posterum. Fidem in historia  
ciuili à nonnullis scio desiderari; di-  
ctionem quoque eius ab imperito ali-  
quo nebulone imperitè iam video in-  
terpolatam, pannos sæpè huic purpu-  
ræ insitos. Verumtamen, quod ex  
parte præcipue nunc spectamus, hic  
de exercitu ( ut Tullij sententiam usur-  
pem ) de castris, de agminibus, de si-  
gnorum collationibus, de opidorum  
oppugnationibus, de commeatu, de  
insidijs faciendis, de reliquis rebus  
quæ sunt propriè belli administrandi,  
sententiam tibi feret quisquis es Impe-  
rator. Cæsari comitem do Q. Curtiu-  
m, quem adeo inter selectos recen-  
sere non dubito, ut inter optimos illi  
locum fidenter tribuam. Velleum  
qua res tractat sui æui, à veritatis orbi-

Cic. 2. de  
Orat.

*Curtij hislo-  
ria proba.*

ta

ta deflexisse, cum ab alijs , tum præcipue, à Lipsio scio . Iosephum sæpius cum sacrarum litterarum autoritate pugnare recte obijcitur . quomodo etiam à seipso interdum discrepet , vel alijs certioribus testimonijs erroris arguatur , obseruauit diligenter Cæsar Baronius, nec ideo tamen vterque spernendus . Nam Velleius alias disertus & industrius : Iosephus adeò laudatus scriptor , vt Hieronymus honoris causa Liuum Græcū eum appelleat . In historia Eusebij , quem obijciunt , plurimos esse næuos non melatet , vestigia quoque Arianismi passim noto , magni tamen laboris , variæ lectionis eum fuisse , nec leue omnino illius iudicium esse , præsertim in Chronicis , ab equo quoque iudice nullo negotio impetraturum me confido . Sozomenum à Gregorio damnatum video , & Socratem , vti super hanc rem plura ipse Ioan. Bernartius , sed non de-

Non usque  
quaque Vel  
leij ē Iose-  
phi.

C.Bat.An.  
Tom. 1.

Epist. 22.

De Eusebio  
sentētia no-  
stra.

Lib. 1. de  
vulit. hist.

E sunt

*De fructuosa ratione*

sunt interim alij melioris notæ historici, qualis est Euagrius Scholasticus, Nicephorus, Cassiodorus, Marianus, & vt denique ad nostros veniam, (neque enim omnes recensere propositū) cum suo successore Abrahamo Bzouio Cæsar Baronius, quos adeò supra omnem nouitiam & ad priscam laudē iudico, vt palmam eos omnibus erupturos existimem, qui in Ecclesiastica historia hactenus quidquā tentarunt. De Pauli Iouij capite Quirites in suffragium iuuisse video: & si calculos numerem, nigros plusculos reperiām, sed quos omnes superabit vnicus Lipsij fauor, nec temerario iudici Gorreo Parisiensi, aut alio cuiquam credendum, qui historias eius cum Amadisi fabulis componit. Stylum certè eius & scribendi methodum, non culparit quisquam inculpatus. Franciscus Guicciardinus iudicia magis prona, magis amica experitur, nec ego contraue-

*Annales  
Baronij cō-  
mendati.*

*De Paulo  
Iouio sente-  
tia.*

*De Fr. Guic-  
ciardino.*

trauenio. Noui etenim hunc virum  
à Leone X. Pont. Max. legionibus sa-  
crist & prouincijs Ecclesiasticis cum  
summo imperio præfectum , nec ea-  
propter inidoneum iudicem . Video  
quoque ab adfectibus immunem fui-  
scē ( si planè ab odio ) vtilia certè Pru-  
dentię candidato monita, quæ sèpius  
interferit , non negabit nisi imprudēs.  
Huic Philippum Cominæum , etiam  
in Rep. administranda, in bellis, in le-  
gationibus obeundis clarum , & feli-  
cem adiungo . Paulum Æmilium, in-  
ter mediæ ætatis scriptores , & Nice-  
tam Choniatem *legite vos Politici in-*  
*quit decus Belgicæ gratiam mibi aliquis*  
*pro iudicio habebit , certè debebit . Sed nec*  
*Varseuicum nostrum, aut Martinum*  
*Cromerum spernite, iniquè à Kicker-*  
*mano in Commentario de proprieta-*  
*tibus Historiæ spretos , cum sit vter-*  
*que à politioris litteraturæ hominibus*  
*commendatus ; maximè posterior ille*

*Cominæ ve-  
ralans.**Lip. i Not.  
Golit.*

*De fructuosa ratione*

à Robortello viro non per Italiam solum, sed per Europam animi dotibus clarissimo, qui suæ historiæ epistolam cum certis & veris historiarum præceptis, à temerario iudice isto laudatis, à Cromero autem nostro obseruatis, vel amicitiæ tesseram, vel elogij monumentū præmittere voluit. Apud Varfeuicum vero, & res & narratio ipsa distincta, composita ut quique bonus fatetur, sine vanitate, sine inceptijs, præterea, crebra apud eum monita, & opportuna in omnibus scriptis, iudicia non libera solum, sed sana.

Quod autem inquiunt, Principū vitia & improbos quosque mores distinctè historici notant, atque sic in legentibus vitia promouét; hoc stultum est opinari. nam faciunt quidem illi, sed non nude insipientibus proponunt, verum, mercedem vitiorum vñā tibi ingerunt; vt quorum exitum reformidas, eorum vitam detesteris. Describūt  
tibi

tibi historici Sardanapalum inter scor-  
torum greges purpuram colo nétem ,  
& muliebri habitu pensa inter Virgi-  
nes partientem : sed ijdem illi mox  
quam fœdum hæc fœda voluptas exi-  
tum habuerit ; id est ferrum & flam-  
mas docebunt . Siculum illum tyran-  
num stupra , rapinas , cædes , multis  
annis pro ludo habuisse alibi leges ;  
sed magnum illum regem mox à re-  
gno ad ludum detrusum , pro sceptro  
ferulam gerere videbis . Domitianum  
in omne hominū genus ferarum mo-  
re grassatum , dominum sese Deumq;  
dici coegisse audies : sed mōstrum hoc  
inter coniuratorum manus quoque  
fœdè confossum intelliges . Commo-  
dum libidine , auaritia , crudelitate  
fœdissimum notabis : sed eundem ad  
extremum in balneo compressis fau-  
cibus exspirasse , & palestritæ manu  
miserè perijisse , obseruabis . Deni-  
que ne longius euager , reuolue histo-

Nam infa-  
mię inijciū  
metum , &  
penam qu  
deterreare  
adijciunt.

Dionysij pu-  
nitio.

Domitiani.

Commodi.

92 *De fructuosa ratione*

ricos, & intelliges, neminem scelus in pectore gestare, qui non idem Nemissim in tergo. Atque sic omnibus in confessio est, adeò non egredi officij metas historicos qui Principum aliorumq; vitia notant, nec bonos modò veræ laudis lauro coronant, sed malos quoque iustissimis posteritatis maledictis obijciunt, vt (Tacito suffragante) præcipuo Annalium munere fungantur, dum curant, vt prauis dictis factisq; ex posteritate & infamia metus sit, docentq; quām stultum sit credere præsenti potentia posse etiam sequentis æui memoriam extingui: & quām ridiculum existimare, quia in præsenti hoc rerum statu, metu omnes mussitant & tacent, ideo posteritatem sclera posse latere: contra ipsius veritatis naturam, quæ talis est, vt quamuis omnes illam oppugnant, ac nonnūquam omne verisimilitudinis genus aduersus eam pro mēdacio stet,

Annal. 3.

Veritatis  
natura.

nescio

nescio tamen quomodo ipsa per se in  
animos hominum se insinuat: ac in-  
terdum quidem ex tempore quam sit  
potens ostendit; interdum vero, post-  
quam diu tenebris obiecta fuit, tan-  
dem ipsa per se præualet, & ipsum mē-  
daciū expugnat. Sed prudentiam  
dicunt, nullam posse ex lectione histo-  
riarum percipi, quod eam solus largia-  
tur usus, qui nimium tardus est, ut Se-  
neca inquit & varius. Fateor usum se-  
ris venire ab annis ut Poeta habet, ac  
ideo tutiorem, tritiorem, magisq; ob-  
uiam ad Prudentiam viam esse histo-  
riam profiteor. Et sicuti Eudamidas  
olim, cum in Academia Xenocratem  
iam quinquagesinarium discentem, &  
cum discipulis etiam differentem vi-  
disset, & ex adstantibus audiuisset il-  
lum ex eorum numero qui virtutem  
quærerent, subridens dixit; *Ecqua-  
ndo ea utetur, si id ætatis adhuc eam quærit?*  
ita cum legitimæ historiae hostes fo-

Sen. epist.  
121.  
Ouid. 6.  
metamor.

## *De fructuosa ratione*

Ium vsum sibi placere iactitant, aureā  
illam Romani Sophi sententiam libē-  
ter usurpo: *Quæ tam stulta mortalitatis  
oblivio, in quinquagesimum ac sexagesimum  
annum differre sana consilia: & inde velle  
vitā inchoare, quò pauci perduxerunt?* Ut  
lissima ergo historiarum lectio, quia  
non vnius seculi (quo concluditur v-  
sus) sed omnis æui res gestas sufficien-  
ter in se continet: modo nucleus quæ-  
ramus in illa, non putamina, vt mul-  
ti Philologiæ solūm addicti faciunt, &  
ex omni historia nihil amplius quæ-  
runt, quām vt ocia fallant, sicuti plu-  
rimi tesseris aut pilis; aut ad pomparam  
solūm illa vtuntur, non ad vsum. anxiè  
inquirunt, & in id supercilium subdu-  
cunt, vtrūm Roma ante Romulum  
fuerit condita: quot annis Æneas cum  
suis errauerit anteaquam in Italiam ap-  
pelleret: vtrum Superbus Prisci filius  
fuerit, an nepos: quis primus authori-  
tate Senatus iniussu populi triumpha-  
uit:

Sen. de bre  
uit. vit. c. 4.

uit: cur Auentinus vnu ex septem collibus Romanis pomœrio non fuerit inclusus ante Claudiū Imperatore: & eiusdem notæ alijs tricis: nec flexu modò & tamquam à studio ad otium (quod non improbo , nec intermissiones hoc agi reprehendo ) sed recto rigore, ac certa, vt sic dicam , linea , & tamquam ab otio ad studium , nec in limine modo ( quod in exordio probauī ) sed omni studiorum cursu tendunt ad leuem hanc metam . Dictorum factorumq; illustrium adeò nulla cura est , vt quiduis potius agant , quam id agant. O nugiuendi ! transite aliquando ad meliores curas , nec instrumentum vitæ maximè seruum vertite in ludum aliquem nugarum . Apinas hæc esse , & tricas ( vt in proverbio ludicro est ) agnoscite : ad adyta properate , nec in aditu totam ætatem consumite . Nauim mihi ab argutiarum illis salebris

## *De fructuosa ratione*

auertite, & velificationem omnem ad  
veræ prudentiæ portum dirigite. v-  
berimum historicum audite. *Adila-*  
*la*, inquit, *mibi pro se quisque acriter intèdat*  
*animum, quæ vita, qui mores fuerunt: per*  
*quos viros, quibus que artibus domi militiæ-*  
*que et) partum & auctum Imperium sit.* La-  
bente deinde paulatim disciplina, velut dissi-  
dentes primò mores sequatur animo: deinde  
ut magis magisq; lapsi sunt, tum ire cæpe-  
rint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus  
nec vitia nostra, nec remedia pati possumus,  
peruentum est. Hoc illud præcipue in cogni-  
tione rerum salubre ac frugiferum, omnis te  
exempli documenta in illustri positâ monumē-  
to intueri. inde tibi tuæq; Reip. quod imitere  
capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu  
quod vites. Aurea profecto, & Liuio  
nostro digna prefatio. Vos eam quile-  
gitis admissam nō in aures solum, sed  
in animum, re & opere exprimite, &  
veram hanc ad Prudentiam semitam,  
non vacillante, sed firmo pede pera-  
grate.

grate. Scitote hanc illam esse Prudentiam quæ vigilijs augescit, & cui subinde ceu fluminibus ex decursu, sic accedit ex varia lectione minutatim, quo fiat vberior. Non adspecta historia statim continget, sed inspecta; opulentissimis siquidē metallis similis est, adsiduè magis responsura fodienti. Vos inquirite, consilia, dicta, facta obseruate, & ex ijs benè sentiendi, benè dicendi, ac bene agendi præcepta colligite.

CAPVT X.

*Legitima historiae definitio, laus,  
et modus scribendi.*

**H**istoriam diuersi autores, diuersè in suis Opusculis descripsere, sed præcipue Thucydides Gr̄cus, qui appellauit eam, *thesaurum perpetuum exemplorum, & expressam imaginem, ac quasi speculum humanæ vitæ, ad omnia mundi tem-*

Lib. I. belli  
Pelopōne-  
siaci.

Lib. 3.

Florū Au-  
reо. con. 2.  
post Epi.  
Naz.ad Ni-  
cobolum.

## De fructuosa ratione

pora congruens, cum humanos casus propo-  
nat, qui velut in orbem sui similes aliquan-  
do redeunt, cum non res, sed personæ, ho-  
minis, loca, & tempora saltem notentur;  
& addidit, donec durabit eadem rerum na-  
tura, similia multa fieri necesse est. Vnde  
non immerito à Bzouio virtutum ac  
virtiorum diligens ac perspicua demonstratio  
vocatur, à Nazianzeno autem, con-  
globata quædam & coaceruata sapientia, ho-  
minumq; multorum mores in unum colle-  
cti. Hæc enim ipsa totius antiquitatis  
memoriam renouat, infinita rerum  
memorabilium exempla oculis penè  
subijcit, casus varios, euentus anci-  
pites exponit, prudentum consilia,  
& fortium hominum præclara facta  
commemorat, temeritatis & amen-  
tiæ exitus diros & exitiabiles enarrat,  
atque plane demonstrat quibus arti-  
bus à paruis virtutum initijs, homi-  
nes ad summum fastigium peruen-  
rint, quibus clari & euaserint, & diu  
per-

permāserint: quibus deinde vitijs pau-  
latim lapsi sint, atque tandem fundi-  
tus euersi corruerint. Quamobrem  
licet gloriosum sit res illustres gerere,  
non minus tamen arduum putandum  
est, ita res ab alijs gestas scribere, vt  
facta dictis exequantur, quæ, si à ma-  
gnis & illustribus per Commentarios  
digeruntur, multo maiorem lucem &  
famam apud posteros consequuntur.  
Quis etenim Alexandrum M. nosset,  
nisi de ipso scripsisset Q. Curtius? Quis  
esset Vlysses? nisi Homerum præco-  
nem habuisset? Quis Alcibiades, nisi  
Thucydides eum extulisset? Quis Cy-  
rus, nisi Xenophon monumentis suis  
res gestas illius conseruasset? Quis  
Pyrrhus Epirotarum Rex, nisi Hermi-  
clem habuisset historicum? Quis Sci-  
pio Africanus, si absque Decadibus fo-  
ret T. Liuij? Quis Traianus, nisi inti-  
mus illi amicus fuisset Plutarchus il-  
le nobilis? Quis Nerua & Antoninus

## *De fructuosa ratione*

Pius, nisi memoriam vtriusque Dion  
Græcus posteris prodidisset? Quid de  
magnanimis facinoribus Iulij Cæsa-  
ris, quid de rebus gestis Pompeij Ma-  
gni sciremus, nisi Lucanus illa cele-  
brasset? Quis duodecim nosset Cæsa-  
res, nisi Suetonius Tranquillus librum  
de Cæsaribus scripsisset? Quid de an-  
tiquitatibus haberemus Hebræorum,  
nisi Iosephus scriptor diligentissimus  
eas conseruasset? Quis aduentum nos-  
set Longobardorum in Italiā, nisi  
eū Paulus Diaconus scripsisset? Quid  
de aduentu & successibus & fine Go-  
thorum in Hispania sciremus, nisi cu-  
riosus illa Rodericus illustrasset? Et  
quis demum fortis Sarmatas nouisset,  
nisi eos disertus post alios innumeros  
Cromerus mundo ostendisset? Pro-  
fectò, non ornamenta solum Rerum-  
pub. historiæ sunt, sed auxilia & ful-  
cra, quæ ab omni ævo Deus simul cum  
litteris extare voluit, velut pharos, &  
lucen-

luentes quosdam ignes in tempestuo-  
do mari. Quæ enim armis geruntur,  
vnius ætatis sunt, at quæ litteris consi-  
gnantur, ad ea etiam posteri obmu-  
tescunt. In summa, & Reges & ma-  
gna illa nomina, obliuionem æter-  
nam iam nunc cogitent, nisi penna-  
tus iste currus euehat, & ostendat per  
æuum & per gentes. Atque hinc apud  
Romanos officium Decurionum erat,  
historias scribere & annales, tum res  
gestas & approbatos authores transcri-  
bere, ut ostendit Vvolffangius Lazius.  
Et Tacitus Imp. teste Fl. Vopisco De-  
curiones Ciuitatum obstrinxerat, ut  
quotannis decies C. Taciti opera de-  
scriberentur, ac in omnibus Biblio-  
thecis apponenterentur, ut tanti hominis  
nullo vñquam tempore memoria pe-  
riret, cuius tamen magna ex parte scri-  
pta cū alijs autoribus perierunt, Fran-  
cis, Alemannis, Gothis, & Longobar-  
dis cuncta perpopulantibus, quæ au-  
tem

Li. 3. Com.  
Reip. Ro-  
ma. In vit.  
Tac.

## *De fructuosa ratione*

tem ad nostras manus deuenerunt, legitimæ historiæ laudem sibi iure succendicant, quam cum Bernartio meo definitio VERAM RERVM GESTARVM NARRATIONEM, ACTIONES VITAMQ. HUMANAM FIRMITER DIRIGENTEM. Dixi *veram*, quod veritas non solum decus ac ornamētum historiæ sit, sed ipsa, eius anima. *Historia* siquidem (ut recte dixit Plinius) non ostentationi, sed fidei veritatiq; componitur. Vera autem erit, si recto cursu, ac certa, ut sic dicam, linea, Tullij seruet leges. *Nec* videlicet, quid falsi scribere audeat, ne quid veri non audeat, ne quam in scribendo suspi-  
tionem gratiæ, ne quam similitatis ostendat. nec temerè adiunctum, actiones  
vitamq; humanam firmiter dirigentem, ne que enim satis est verè & ex fide nar-  
re quid sit actum, sed etiam quare fa-  
ctum, & quo fine factum exponere.  
passimq; actiones, & vitam dirigen-  
tes

*Legitimæ  
historiæ de-  
finitio.*

*Quomodo  
historia scri-  
benda.*

Plin. epist.  
lib. 7.

Cic. lib. 2.  
de Orat.

tes sententias, proba probantes, improba improbatēs, serie narrationis nihil omissa aut læsa inspergere, oīaq; dicta, facta, cōsilia, ad bene institutæ vītē formā reuocare. Rerum quippe ratio (vt eodē loco lactea Romani sermonis vībertas rectissimē sentit) ordinem temporū desiderat, regionum descriptionem: vult etiā quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis, consilia primum, deinde acta, postea euētus expectātur, & de consilijs significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari nō solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quo modo, & cum de euentu dicatur, vt causa explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis, hominumq; ipsorum non solum res gestae, sed etiam qui fama ac nomine excellunt, de cuiusq; vita ac natura. Nā hic finis historiæ genuinus est, vt vniuersalia ex singularibus inductione exemplorum obseruentur, atque vt experientia singularium confirmetur in nobis Scientia & Prudentia, qua di-

*Finis histo-  
riæ.*

*De fructuosa ratione  
scamus bona imitari & amplecti , bo-  
norumq; præmia consequi , mala au-  
tem fugere , & poenas declinare.*

## C A P V T XI.

*Monita quedam circa legendam hi-  
storiam obseruanda .*

**E**T si tātopere Reinerus Reineccius historicam lectionem extollat , vt audeat in quadam epistola sua dicere . Falluntur qui vagam quandam seu confusam scientiam Historiam esse censent ; habet enim illa certos , & definitos limites , &c. Nihilominus tamen qui ea delestantur hoc primum à me Principis Philosophi monitum habeant . Ne sint nimis creduli in historijs aut increduli planè . hominis enim bene instituti est , tantum certitudinis in qualibet re requirere , quantum eius natura patitur , præcipue in rebus antiquis per-scrutandis ; de quo velim obseruari aliud

Monitum  
I.  
Arist. 4. E-  
thic.

aliud Diodori Siculi monitum. In  
priscis rebus veritatem non esse ad unguem  
querendam nemo enim est inquit Pi-  
cus Mirandula Historicorum qui fal-  
sa non habeat, & maximè dum re-  
fert antiqua: quarum pauci specta-  
tores fuere, sed assentiendum graui-  
bus scriptoribus quos supra commen-  
dauimus, licet & ad illos spectet fa-  
mosum illud Romani Sophi dictum  
*Historici* inquit, *cum multa mentiti sunt,*  
*ad arbitrium suum, tandem adjiciunt illud*

PENES AVTOREM FIDES ESTO.

Sed huic dicto pro regula adjiciamus  
illud, quod Arrianus, Dion, & Pau-  
sanias monent. *De incertis conuenit pro-  
dere meliora, reticere peiora.* Nempe  
impossibile est diuersos Historicos in  
omnibus circumstantijs inter se con-  
uenire, etiamsi de eisdem rebus tra-  
gent, quia nimirum notitia singula-  
rium à sensu pendet, omnes autem in-  
teresse rebus non potuerunt, idcirco

Monitum  
II.

Tom. 2. o-  
perum suo  
rum lib. 2.

Sen. lib. 4.  
Nat. quest.  
cap. 3.

Monitum  
III.

## *De fructuosa ratione*

ex fama scribunt et relatione, præcipue  
moderni historici, quibus in aulis Prin-  
cipum non pater ad quæquam aditus;  
ad omnes autem eandem famam et  
relationem peruenire est impossibile.  
Legendæ igitur sunt Historiæ cum  
moderatione animi, et cum venia; ne-  
que statim vituperandus Historicus,  
etiam si falsa narret, cum id non faciat  
ex destinato, sed ex imposita necessi-  
tate errandi omnibus hominibus cir-  
ca res singulares, tamquam varias et  
infinitas, alioquin neminem, inquit  
quidam, futurum, qui aliquid ad po-  
steritatem transmittere velit. Hinc etiā  
sequitur quod Baccius egregius Me-  
dicus monet, *non esse necesse ad verita-  
tem Historiæ, ut omnes Historici inter se  
consentiant.* Et sane, quod ad personarum  
facta, sive dicta attinet. Certum est enim  
facilè fieri posse, ut eadem personæ,  
idem agant et dicant, atque idcirco  
non debere esse supeftam fidem Hi-  
storici,

pag. 71. de  
Vnicornu.

Monitum  
III.

storici, si diuersæ personæ aliquid tribuat, quam alter Historicus. Exemplum, Friderico Tertio Imperat. tribuitur elegans symbolum *Rerum irre recuperabilium summa felicitas obliuio*. Quod vetustius esse constat ex verbis Diomedis apud Dictem Cretensem. Similiter Sesostris Ægyptius triūphauit viētis Regibus, currum trahentibus, teste Suida & Plinio. inde tamen non sequitur, quod Cyrus idem facere non potuerit, de quo id testatur Cedrenus in Compendio Historico. Quod & de alijs censendum est.

CAP V T XII.

*Historia distinctio cum suis subpartitionibus attata.*

**H**istoriam rectè posse partiri, plurimum conductit ad eam fructuosè legendam, & dextrè comprehen-

De fructuosa ratione

dendam ; quin & memoriam in primis iuuat ad cognoscendum quis sit legitimus eius usus , ordo , ac series .

Quia quidem in re , et si antehac diligenter laboratum sit à multis alijs : nulla tamen mihi iustior , atque exactior distinctio Historiæ videtur præterquam Lipsiana . Et summa eius diuisio est , *Mythistoria* , & *Historia* .

Illa quæ fabulas vero mixtas : ista quæ putum & merum verum habet . In illa poetæ sunt & id genus : qui oblectamenta auribus animisq ; querunt , & florida ista veste ornant , & augent corpus hoc veritatis . Veteres poetæ , & Rex eorum Homerus , pulchritè & sœpè utiliter fecerunt : cùm arcanos sensus aut altiora dogmata hoc quasi velo obnubunt & tegunt . Sed hac

Cent. Mi-  
scell. epist.  
61.

Diuisio Hi-  
storiæ gene-  
ralis.

Veræ histoi-  
rie distin-  
ctio .

parte missa , sit vera Historia in Naturalem , & Narratiuam diuisa . Et illa est , quæ naturæ faciem & facta reuelat , id est , rerum , stirpium , animantium

lium ingenia, proprietates, vires tradit. Aristoteles, Theophrastus, Aelianus, Plinius fecere: & plures quos æcum nobis subduxit. *Narratiuam* dico, quæ res gestas actionesq; prodit, sacras siue profanas. Ideoq; à duplaci hac materie, iterum duplex *Divina* & *Humana*. Illa, quæ religionem, aut quod adhæret tangit; hęc, quæ res plurimūm actionesq; humanas. Iterūq; ea duplex. *Priuata* & *Publica*. Nam aut singulorum res, vitam, virtutes, vitia recenset, & *Priuata* est: aut quæ publicè plurium usui aut noxæ, sunt gesta, & *Publicam* appello. Et priuatam scripsere plurimi, qualis inter alias Plutarchi illa, in qua vitas Latinorum & Græcorum 50. describit. Aemilij Probi siue Cornelij, qua vitas aliquot Ducū Græcorum, & Punicorum expressit. Pauli Iouij, de Illustribus bellica laude, & insigni doctrina. Aeneæ Ficit Parmensis de imaginibus Imperato-

Tertia diuinio Historiæ  
Quarta diuinio.

*De fructuosa ratione*

rum . Gaspari Vrsini , de Regibus ;  
Imperatoribus , Pontificibus . Laer-  
tius etiam descripsit Philosophos . Sim-  
phorianus Campegius , claros Medi-  
cos . Ioan . Fichardus insignes Iuris-  
consultos . Eunapius Doctores Eccle-  
siasticos . Philostratus Sophistas , Tri-  
themius viros sapientes . Petrus No-  
nius , Historicos & Poetas . Plutar-  
chus verò , & Philippus Bergamensis ,  
& Ioan . Boccatius , cum Iosepho à Pi-  
no , scripserunt de claris mulieribus ;  
de Illustribus autem viris , infiniti pę-  
nè . Omnes utiles , propriè tamen &  
distinctè . Naturalis Historia scien-  
tiam . Diuina religionem . Humana  
prudentiam . Omnes delectationem  
habent . Sed ad Narratiuam ut com-  
modè accedas , circumstantias histo-  
riarum primo cognoscas , & obserues  
necessæ est ; quod enim in cantu modi ,  
inquit Glareanus , id sunt circumstan-  
tiæ in necessarijs , *Locus nempe & Tem-*

*Circumstā-  
tiæ Historiæ  
duæ.*

*In Dode-  
chordio.*

*pus ,*

pus , quæ veritatem Historicam omnem & illustrant, & confirmant, simulq; efficiunt, vt certam ex Historijs utilitatem percipiamus ; ideo recte dicitur duo esse lumina , & duos velut oculos Historiæ , Geographiam videlicet & Chronologiam . Illa , vt locorum , regionum , vrbium notitiam aliquam conciliebat : hæc , vt temporum , quibus quæque res gestæ . Sed communem dum taxat , & non illam exactam notitiam exigo : satis sit mundi partes situsq; distinguere : prouincias , & in ijs flumina , montes , opida clariora nouisse . In temporibus etiam , seriem eorum & ordinem tenere , & velut terminis quibusdam finire imperia , bella , euentus .



*De fructuosa ratione*

CAPVT XIII.

*Secunda historiarum diuisio genera-  
lior allata, et qui Historici in  
quaque materia legendi,  
propositum.*

*Naturali Historia nūc seposita, Nar-  
ratiuam quam vulgò & peculiariter  
Historiam etiam appellamus, in *Divi-  
nam & Humanam* diuisimus: & utrāque  
nunc subdiuidēdam, & ex quibus scri-  
ptoribus petendam reassumimus. Et  
primum ea quam pietas vult *Divinam*  
appellare, trifariam generaliter diuidi  
potest: in *Iudaicam* veterem, (quæ faci-  
lis est, nec diu tenebit) è libris sacris, Io-  
sepho, & eius interprete Hegesippo pe-  
tendam. In nostram hanc *Nouam*, id  
est *Christianam*. olim ex Eusebio, Nice-  
phoro, Sozomeno, pluribusq; alijs,  
nunc ex uno Cesarie Baronio, quē con-  
tinuat Bzouius, ad fatim hauriendam;  
& suf-*

*Diuina Hi-  
storia tri-  
plex.*

& sufficit ex ea vniuersè initia, progres-  
sum, dissidia, capita & antistites reli-  
gionis nostræ scire. In *Miscellam* deni-  
que & superstitionem, qualis inter reli-  
quas Mahumetana, quæ magnam or-  
bis partem, à multis iam seculis, obti-  
net, Sinensium, Peruanorum, Indorū,  
& qui alij vanam & simulachris seruā  
eam habent; sed ex diuersis historicis  
carptim obseruandam: nā & hēc quo-  
que viro Politico & experienti quis ne-  
get libāda esse? sed, vt doctissimus Lip-  
sius monet, carptim. *Humana Historia*  
superest (ad quam præcipuè lectorem  
meum voco) secundum eumdem Ma-  
gnūm & incōparabilem virum facta  
quadruplex, ordinis doctrinæq; cau-  
sa. *Orientalis, Græca, Romana, Barbara.*

Prima, quæ primi aut prisci orbis res  
habet: cum nostra hæc omnia incul-  
ta, aut infrequentia, & certè obscura  
& ignota. Itaque in Iudeis, Ægyptijs,  
Syris, Persis, reliqua Asia, res ferè & no-

*Humana  
Historia  
quadru-  
plex.*

## *De fructuosa ratione*

biliores euentus tūc sīstunt: aut siquid admixtum leue est, nec scriptiōne aut lectione diuellendū. Hanc primō nosci suadeam: & peti à *Iustino* breui-  
ter: vberiūs deinde ab *Herodoto*, *Diodoro*  
*Siculo*, & si qui Gr̄ecorum eam suis mi-  
scēnt. Quædam enim *Polibius*, *Plutar-  
chus*, *Zonaras*, alij suggesterent, huc appo-  
nenda. Sed Diodorūm, inquit ille, ego  
laudo & approbo: vtinam plenum, &,  
vt scripsit, absolutum.

Altera est Gr̄eca, in qua Spartano-  
rum, Atheniensium, Thebanorum, &  
præcipuè Macedonum res sunt: quos  
huc traho & includo. Præter iā dictos,  
dabūt, *Thucydides*, *Plutarchus*, *Arrianus*,  
& *Curtius* è Latinis. Per partes colli-  
genda est, nam qui totam & ordine  
scripserit, totus ad nos non venit.

Tertia est Romana, in qua vbertim  
rerum & euētuum, eorumq; insigniū:  
& quæ plures scriptores illustrarunt,  
quia non fuit gens, puto & non erit,

quæ

quæ plura vel in militia, vel in pace, laudis & virtutis exempla suppeditaret, ut non immeritò quispiam dixerit. *Græci præceptis valent, Romani exemplis.* Itaque ad hanc tertiam, candide lector, ad hanc segetem veni, manipulos frumentum collige, & in usum tuum reconde. Sed ut ordine fiat ea ipsa diuidatur trifariam. In Veterem, Medium, Novam. Prima mihi est, à Regibus & Urbe condita ad Augustum. Media, cum immutato statu ad Principes ventum. Nova, cum iterum mutato, sedes ipsa Principatus Byzantium est transflata.

In Veteri scriptores Græci Latiniq;  
sunt, sed præcipue isti : *Dionysius Halicarnassæus, T. Livius, Polybius, Plutarchus, Appianus:* quibus compendia adiunge-re liceat *Velleij, Flori, Eutropij, Orosij, Velleianum laudabile fuit: sed potior pars perijt: iudicio & ordine tamen scriptum, & quod exemplar pleniori*

Romanabi  
floria tri-  
plex.

Chro-

## *De fructuosa ratione*

Chronologiæ sit ad imitandum. Fa-  
ciāt huic parti, *Fasti Romani à Carolo Si-  
gmo editi*, & producti ad Augustum.

At in *Media noster Tacitus, Suetonius,*  
*Ammianus, Spartanus*, & adiuncti Cæ-  
sarei scriptores: è Græcis autem *Dio  
Cassius, Io. Zonaras, Herodianus* legendi. tū  
& compendium *P. Victoris*, itemq; *Eu-  
tropij*. Adde ad feriem temporum, imò  
& rerum lucem *Onufrij Panuinij Fastos*,  
ab Augusto ad Iustinianum diligenter  
& industriè consignatos.

*Noua superest*, & in ea ferè Græci isti,  
*Zonaras, Zosimus, Procopius, Agathias, Ni-  
cetas Choniates, Nicephorus Gregoras, Mi-  
chael Glycas, Georgius Cedrenus*, et si hic ul-  
timus quidem, anilium sæpe fabella-  
rū scriptor, & veri incuriosus vel igna-  
rus; iudicio legatur tñ, dabit quod iu-  
uet. Et hēc de Romana Historia habe.

*Quarta supereft Barbarica*: quid nisi  
lacinia & spolium ab illa veste? Nam  
hanc appello & intelligo, cū scisso fra-  
ctoq;

ctoq; imperio, maior pars ad Gallos, Germanos, Turcas iuit, & alternatim hucusque mansit. Nec enim Gothos, Hunnos, Vandalos, Scythas, aut illam fecem huc includo, quæ maneat in Media aut *Noua Romana*, & ijs inserta nempe legetur. Faciunt huc proprié tamen *Iornandes*, *Procopius*, *Agathias*, & si qui tales. Sed meam hanc Barbaricam, varij scripsere, atque ipsi ferè barbari, et si nonnulli haud barbarè extantq; Germanici, Gallici, Polonici, Britan nici scriptores in vnum corpus nuper decorè & vtiliter conduicti ac vulgati. Sunt & *Annales à P. Pythæo* editi: & quotidie huiuscē argumenti prodeunt, iudicio eligendi. Scripsit & *Carolus Sigonius* de Regno Italæ, quod huc facit: & *Io. Leunclavius*, Turcica, vterque mihi bonus & laudatus. Quid omitto? *Laonicus Chalcocondylas* se suggerit, in Turcicis Græcisq; legendus, item *Gu lielmus Tyrius*, & alij in transmarinis sa crisq;

*De fructuosa ratione*

crisq; bellis . modo in legendo præscriptus ordo seruetur , ne confusa & vaga lectio sit , aut desultoria & interrupta , quod plerisque euenit , qui velut ex equo in equum se traijciunt , ab hoc scriptore in alium , ab isto argumento in aliud , momentaneæ voluptatis tantum causa , & vt tempus modo suum , imò & se , fallant .

CAPVT XIV.

*Quid excerptum ex historijs , et  
quomodo in Memorialibus li-  
bellis recondendum .*

**Q**Vid historia sit , quotplex , & quam vtilis ad omnem vitam , diximus . nunc qua industria & cura sit legenda , breuiter , vt & alia ex Lipsio , adferemus , quia in ea omnis est legentium fructus , cui assequendo lectionem ipsam non sufficere scito , ne repetitam quidem , imò nec in felicissima me-  
moria :

moria : sed opus esse *Excerptis* quibus-  
dam & *Notis* rerum verborumq; sin-  
gularium, quas imitemur : quæ excer-  
pta Memorialibus libellis , tamquam  
ærario , contineri velim , vnde sermo-  
nis illæ opes per tēpus & ad vsum pro-  
mantur. Duo itaque in legendis Histo-  
ricis specto , siue exigo *Attentionem* &  
*Electiōnem*, id est , non suspensum aut  
attonitum te habeat tantum nouitas  
aut magnitudo euentuum , sed stupor  
quidam & admiratio , vt insistas & in-  
quiras, cui rei hoc facere possit , & ec-  
quem vsum sui præbere. Mora hic in-  
ter legendum & tarditas , fateor : sed  
nimirum , dicto veteri *Nulla res potest*  
*esse eadem*, festinata simul & examinata: nec  
*esse quidquam omnium*, quod habeat laudem  
diligentie, simul gratiam celeritatis . Tarda  
igitur, & quære. cùm repperisti , tum  
sit *Electio*: id est, vt stylum capias & ex-  
cerpas , & velut annonam in horrea  
quædam reponas. Ea distincta etiam

*Quid in le-  
gendis Hi-  
storicis spe-  
randum.*

G      fint,

## *De fructuosa ratione*

*Quattuor  
libri habē-  
di pro notā  
dis excer-  
ptis.*

sint, & iam antè libri parati, meo iudicio, quattuor: in quos, quidquid eligis, conferas & tuto deponas. Nam memoriae suæ qui credit tantum: quid agit: non dicam nihil, sed in breue, proficit: nec vlla ea tam vasta, capax, tenax est, quæ varia ista cum fide asseruet & reddat. Trade libris, in quo labor aliquis, & iterum in legendō remora: sed, mihi crede, vtilis, si quidquam in omni ratione studiorum. Libri isti quattuor, totidē titulos habeat rerum, quas præcipue in Historijs notes, MEMORABILIVM, RITVALIVM, CIVILLVM, MORALIVM.

Quid Memorabilia? Res, designo magnas, & cum admiratione aut moru legendas, siue audiendas. vt est notabilis Potentia alicuius Regis aut populi. Opera vel Opes. Prodigia, & noui aut insoliti Eventus. Vno verbo quidquid non obvium, & magnitudine vel raritate se commendat.

*Ri-*

Ritualia autem, quæ pertinent ad instituta ritusq; veteres, siue quos in publico, siue in priuato usurpabat. Alios enim istos Orientales, Græci, Romaniq; habuerunt: & ab ea notitia, seria omnis dependet intelligentia veterum scriptorum.

At *Civilia* appello, quæ ad vitam & regimen commune faciunt, & hanc hominum iure, & legibus deuinctam societatem.

*Moralia* denique, ea quæ priuatim ad nos & vitam formandam, virtutibus amicam, vitijs alienam.

Quisque autem liber alios & minores suos titulos habeat, sub quibus siue *Sententiārum*, siue *Exemplorum* seriē pone. quidquid ad singulos illos facit, quia Natura & Memoria ordine & partitione ista gaudent. Ut, ille *Memorabilium*, in ea quæ attigi: nec nimis sanè argumentum hoc patet. (vide tamen pro exemplo *Admiranda Lipsij* siue *De*

*Quomodo  
notāda Me  
morabilia.*

*De fructuosa ratione*

*Magnitudine Romana) Latissime Ritua-*  
*lum. ac diuidamus in Sacra & Profana.*  
*Sacra omnia publica: continentque*  
*Deos, & eorum Nomina, itē Cognomina;*  
*tum Insignia, Munia, Cultum & Templa.*  
*Amplius, Sacerdotes, aliosq; ministros:*  
*tum Sacrificia ipsa, Hostias, Cerimonias &*  
*Ritus: denique Verba solennia & formu-*  
*las precationum, & quidquid illos aut*  
*ista spectat. Iam Profana sequuntur:*  
*atque ea duplia, Publica & Priuata. Il-*  
*la, quæ communiter omnes aut plures*  
*tangunt, & publicis legibus aut insti-*  
*tutis continentur. ut Magistratus & sin-*  
*gulorum Munia aut Ornamenta; ut Sena-*  
*tus, Militia, Prouinciae, Praefecturæ, Officia,*  
*& quidquid istis adhæret. tum Leges,*  
*Iudicia & eorum ratio. Supplicia, Tormen-*  
*ta, Pœna: lætiora denique, Ludi, & Spe-*  
*ctacula, Triumphi, & Festi dies. Ad Priua-*  
*tavenio, & ijs subiungo Nuptias, Fune-*  
*ra, Balnea, Coniuicia, Vesteræ, Nummos, &*  
*quæ longum sit complecti.*

Sequuntur & excipiunt *Civilia*: vtilissima pars ijs, quos genus aut destinatio ad Rempublicam vocant. Is liber tres partes habeat, antiqua et verissima diuisione: status *Regum*, *Optimum*, *Populi*. In qua parte notes, et eò referas, quæ *Firmandæ* sint, aut *Vertendæ*: et hæc ipsa subtilius diuide, vti à Lipsio in Politicis factum.

Postrema sunt *Moralia*, quorum due partes, *Virtutum* et *Vitiorum*. Velim et hæc disponi ordine litterarum: sed ita, ut *Virtute* præente, cuique bina sua *vitia* sint subiuncta. Traho eodem etiam non *vitia* propriè, sed *Affectus*; et *Cupidinum* stirpes, *Spem*, *Metum*, *Gaudium*, *Dolorem*, adnecto: tum ēt *de Beata vita*, et quidquid in Ethicis sedē suam habet. Atque hæc sūt, quæ in historijs obseruanda doctissimus Lipsius putauit, quantū ad parādam copiam rerū, et elegātiām styli, de quo adhuc pauca ex eodem, capite sequēti, et iā vltimo.

Quomodo  
*Civilia*.

Quomodo  
denique mo  
ralia.

*De fructuosa ratione*

CAPVT XV.

*Quae ad stylum Oratorium iuuandum aut comparandum ex Historijs decerpenda.*

**V**Tilitates Historiarum in omni vita, in omni sciētia, maximas percēsuimus, et modum quo omnes, omnium rerum euentus notandi et excerpendi sint, explicuimus. Supereft, ut ostēdamus quomodo liberē possit diligens lector, vagari per scriptorum omne genus, et flores ex omni prato Historiarum carpere, ad Eloquentiæ hanc corollam.

Duo libelli habēdi pro stylō iuanndo ex scriptis Historiorum, & aliorum. Habebit itaque duplices libellos, unum, quem *Ornamentorum* dixerim, alterum, quem *Dictionis*. In primo, distinctè et per capita alphabeto connotata collocauerim *Similitudines*, *Allegorias*, *Imagines*, *Acutiora dicta*, *Sententias*, et si qua illustria eiusmodi lumina sermonis,

monis, etiam ab Oratoribus petita. In secundo, ab omnibus; id est, & à Grammaticis, & à Glossarijs antiquis, atque Iureconsultis *Phrasium* & *verborum* elegantiam. Phrases quidem enotari velim, quæcumque insigniores aut niti- diores occurrent. Verba, quæcumque rara, nouæ, aut novo sensu sine flexu usurpata. In *Phrasibus* dispositionem non video; nisi quod seorsim eas po- ni velim, pro discrimine scriptorum: Tullij solas: Plauti & Terentij solas: Hi storicorum solas: quod quisque pro iudicio suo industria facito. In *verbis* or dinem solum seruem Alphabeti. Et hæc sunt, quæ selegi velim, & à studiofa iuuentute, in legendis Historicis ob- fereuari. Nam scio facere plerosque ex diligentioribus, sed cum irrisu magis suo quam vsu. quia laboriosè solummodo dictorū factorumq; conficiunt Commentarios, & non methodicè: ex quibus cum serium aliquid ac graue

*De fructuosa ratione Hist. leg.*  
pertractare, aut secundum rei exigentiam exornare volunt, neque exordiri primum vnde occipient habent, neque ad detexendum telam, certos terminos inueniunt. Quod ut facilius eis cedat, post tot nobilissimos hac in re scriptores, placuit omnium præstantissimam Iusti Lipsi doctrinā amplectendam proponere; quam & Politicæ amatoribus spero profuturā, si quantum ille supra alios sapuerit, & facillimè docuerit, seriò obseruabunt, & imitabuntur.

F I N I S.

Corrigebat Doct. Huppertus Faber Vbius Agrippinas,  
Lector publicus apud Venetos, &  
Corrector approbatus.

7526



